

**DE QUIBUSDAM STI. OFFICII NORMIS
SUPER AGENDI RATIONE CONFESSARIORUM CIRCA
VI DECALOGI PRAECEPTUM**

SUPREMA CONGREGATIO SANCTI OFFICII

A) LITTERAE AD ORDINARIOS DATAE

“Romae ex Aedibus Sti. Officii die 16 maii 1943.

Excme. Domine:

Neminem sane latet quanta prudentia confessariis opus sit in obeundo suo gravissimo munere, praesertim in interrogandis et instruendis fidelibus circa VI Decalogi praeceptum, necnon in sua agendi ratione cum mulieribus poenitentibus.

Quo vero iidem facilius valeant suo officio ea qua par est sanctitate et gravitate fundi, Emmi. DD. Cardinales, rebus fidei et morum tutandis praepositi sui muneris esse duxerunt adnexas redigere normas.

Curent igitur Excellentissimi Ordinarii ut eadem, firmis ceteris S. Sedis Constitutionibus et Instructionibus, a confessariis omnibus sanctissime serventur, atque sive per se sive per vicarios foraneos aliosve praestantiores ecclesiasticos viros perattente advigilent ne eorum agendi ratio cum mulieribus suis poenitentibus familiari consuetudine, juxta ea quae n. 3. Normarum edicitur, quomodocumque dehonestetur. Sicubi vero abusus hac de re irreperint, satagant eos omni opera, adhibitis quoque, si opus fuerit, sanctionibus poenalibus, districte compescere.

Cum autem, prae humana infirmitate et malitia, omnis generis peccata contra sextum in confessione attingi haud raro necesse sit, mox futuri sacerdotes, circa finem cursus theologici, caute et solide a docto et pio Magistro hisce de rebus instituendi sunt, ne cogantur postea soli, atque imperiti inopinatum hostem, haud sine discrimine et angustiis, aggredi. Quo enim melius fuerint de his instructi, eo facilius miserrimas animarum condiciones intelligent iisdemque sine ulla cunctatione occurrent, neque ipais

opus erit multis atque molestis quaestionibus peccata a poenitentibus percontari, sed raptim poterunt hanc lubricam materiam attingere et absolvere. Haec institutio talis erit prout n. 4. Normarum commendatur.

Non ideo tamen iis qui recenter sacerdotali caractere aucti sunt directa animarum cura, nisi necessitas urgeat, committenda est vel facultas tribuenda excipiendi foeminarum confessiones; sed sub assidua provectionis ac dignioris alicuius sacerdotis vigilantia sacri ministerii exercitio primum paulatim initientur.

Ceterum fidelium, maxime foeminarum, sacramentalium confessionum excipiendarum facultas iis dumtaxat tribuenda est qui certa prudentiae, probitatis ac sufficientis scientiae argumenta exhibuerint.

Haec dum Tecum communico, impensos meae aestimationis sensus Tibi obtestor permanens.

Excellentiae Tuae Revmæ. addictissimus.—F. Card. Marchetti Selvaggiani, Secretarius.

B) NORMAE QUAEDAM DE AGENDI RATIONE CONFESSARIORUM CIRCA VI DECALOGI PRAECEPTUM

Ecclesia numquam omissa omne studium atque sollicitudinem adhibere ne sacramentum Poenitentiae "quod post amissam baptismi innocentiam datum est divina benignitate perfugium, per daemonum fraudem, et hominum Dei beneficiis perverse utentium malitiam, naufragis ac miseris peccatoribus luctuosum evadat exitium" (Const. Benedicti Pp. XIV "Sacramentum Poenitentiae", 1 junii 1741) et quod in animarum salutem institutum est, in earum perniciem atque sacerdotalis sanctimoniae et dignitatis detrimentum per hominum inconsiderantiam vel levitatem quomodo-
documque vertatur.

Est autem, super cetera, haud spernendum hac in re periculum si in *interrogandis* atque *instruendis* poenitentibus circa VI Decalogi praeceptum considerate ac circumspecte, ut rei asperitas exigit, atque sacramenti dignitati congruit, confessarius sese gerere neglegat; sed ultra modum progrediatur et officium consulendi confessionis integritati atque poenitentium bono, aut si tota ejus *agendi ratio, maxime cum mulieribus*, debita sanctitate et gravitate careat: haec enim fidelium animos facile offendunt, suspicionum ansas dant atque sacramenti profanationis initium evadere possunt.

Ut vero tanto discrimini omni ope atque opera occurratur, haec Suprema S. Congregatio opportunum duxit has in memoriam redigere normas ad quas confessarii animum mentemque sedulo intendant necesse est, et futuri confessarii in Seminariis et scholis theologicis mature attentum rediantur.

I. Codex I. C. peropportune monet ne confessarius curiosis aut inutilibus quaestionibus, maxime circa VI Decalogi praeceptum, quemquam detineat, et praesertim ne juniores de iis quae ignorant imprudenter interroget (can. 888, § 2). Porro inutiles quaestiones sunt quae supplendae poenitentis accusationi ejusdemque animi dispositionibus cognoscendis minime necessariae demonstrantur. Poenitens enim jure divino tenetur dumtaxat omnia et singula peccata gravia post Baptismum commissa et nondum per claves Ecclesiae directe remissa, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habeat, confiteri et circumstantias in confessione explicare quae speciem peccati mutant (Concil. Trid., sess. XIV, cap. V; C. I. C., can. 901), modo tamen specificas hujusmodi malitias peccando cognoverit, ac proin contraxerit. Haec, igitur, tantum confessarius per se a poenitente sciscitari tenetur, si rationabiliter suspicatur eadem bona vel mala fide in confessione praetermissa fuisse; et si quando contingat cuiusdam poenitentis examen ex toto supplendum esse, non ultra prudentis coniecturae modum, attenta poenitentis conditione, percontando, progrediatur.

Omittendae igitur sunt, utpote inutiles, molestae atque hac in re periculi plenae, interrogationes de peccatis quorum nulla cadit in poenitentem positiva atque firma suspicio; item de peccatorum speciebus quas haud verisimile est ipsum contraxisse; de peccatis materialibus, nisi ipsius poenitentis bonum vel avertendum mali communis periculum monitionem postulet vel suadeat; item de circumstantiis moraliter indifferentibus, atque praesertim de modo quo peccatum commissum est. Quin imo si poenitens sponte, seu prae incitia seu prae scrupulis seu tandem prae malitia, in explicandis luxuriae peccatis vel tentationibus modum excedat aut pudicitiam verbis offendat, id confessarius prudenter, at prompte ac fortiter, cohibere ne omittat.

Meminerit insuper confessarius divinum de confessionis integritate praeceptum cum gravi poenitentis vel confessarii damno, quod sit confessioni extrinsecum, non urgeri; ac proin quoties vel poenitentis scandalum vel ipsius confessarii ruina ex interrogatione prudenter timeatur, eadem abstinendum esse. In dubio, vero, commune Doctorum monitum sit semper menti defixum, hac in re melius esse deficere quam cum ruinae periculo excedere.

Tandem confessarius, interrogando, cautissime semper procedat, propositis prius generalioribus quaestionibus, ac postea, si casus ferat, magis definitis interrogationibus. Hae tamen semper sint breves, discretæ, honestæ, devitatis prorsus locutionibus quæ phantasiam vel sensum moveant, aut pias aures offendant.

II. Neque minori prudentia atque gravitate confessarius opus habet dum poenitentes, pro suo munere medici et magistri, *monet* atque *instituit*. Id vero apprime atque probe meminerit sibi haud corporum sed animarum curationem concreditam esse. Ejus, igitur, per se non est consilia poenitentibus dare quæ ad *medicinam* vel *hygienem* spectant, atque ea omnino devitet quæ mirationem moverent vel scandalum gignerent. Si quæ, vero, consilia hujusmodi necessaria, etiam propter conscientiam, conseantur, eadem a perito recto, prudenti, atque morali doctrina instructo tradenda erunt, ad quem igitur poenitens remittendus est. Itidem ne audeat confessarius, seu sponte seu rogatus, de natura aut modo actus quo vita transmittitur poenitentes docere, atque ad id nullo unquam prætextu adducatur.

Moralem vero institutionem et opportunas monitiones iuxta probatorum auctorum doctrinas suis poenitentibus tradat, idque prudenter, honeste, moderate, non ultra veram poenitentis necessitatem; neque abs re animadvertere fuerit inconsiderate illum agere atque recte munere suo non fungi, qui videatur fere unice, interrogationibus et monitis, de his peccatis sollicitus.

III. Oblivioni tandem dandum non est mundum in maligno positum esse (I Ioh., V, 19), atque "sacerdotem quotidiana consuetudine versari quasi *in medio nationis pravae*: ut saepe in pastoralis ipsa caritatis perfunctione, sit sibi pertimescendum ne lateant inferni anguis insidiae (Pius Pp. X. Exhortatio ad clerum catholicum "Haerent animo", 4 augusti 1908).

Quapropter cautissime semper incedat, praesertim cum mulieribus suis poenitentibus, necesse est, omnia vigilanter devitando, quæ familiaritatem proderent vel periculosam amicitiam fovere possent. Ne igitur in iisdem cognoscendis curiosus sit, neque audeat earum nomen directe vel indirecte inquirere. Eas dum alloquitur, pronomem "tu", ubi familiarem consuetudinem significet, omnino ne adhibeat; earum confessiones ultra quam satis est produci ne permittat; a rebus pertractandis quæ ad conscientiam non pertinent in confessione absteat; mutuas visitationes atque commercium epistolare cum iisdem sine vera necessitate ne admittat, necnon longas collocationes sive in sacristiis sive in atriis seu "locutoriis" sive alibi, ne sub pretextu quidem spiritualis directionis.

Id, vero, confessarius omni vigilantia praecavere debet ne pietatis furo affectus humani suipsius vel poenitentium animo paulatim irrepant atque foveantur; sed omni ope continenter eniti debet "ut quidquid pro sacro munere agit secundum Deum agat instinctu ductuque fidei" (Pius Pp. X. "Haerent animo").

IV. Quo vero facilius atque tutius valeant confessarii tali munere fungi, ad id mature a suis magistris instituantur atque doceantur neque tantum principiis, sed specimine quoque et exercitatione, ut accurate sciant quomodo sint circa VI Decalogi praeceptum interrogandi poenitentes, pueri, juvenes, adulti, atque praesertim mulieres; quae sint necessariae vel utiles quaestiones; quae contra omittendae, atque quatenam adhibenda iuxta patrium sermonem verba.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 16 maii 1943.—F. Card. *Marchetti Salvaggiani*, Secretarius."

Haec Sti. Officii documenta adeo clara in se sunt tamque completa et apta ad suum finem attingendum, ut nullo indigeant commentario; imo id sua perspicuitate veluti respuunt. Tamen quia ea edere nobis necessarium est, aliquas ipsis adiicimus notulas, quia doctrinam canonico-moralem a Sto. Officio mirabili concisione propositam enucleamus ex AA. probatis, nonnulla utilia in memoriam revocantes.

I. COMMUNICATIO HORUM DOCUMENTORUM A STO. OFFICIO ORDINARIIS FACTA

LITTERAE ET NORMAE supra exscriptae in AAS non fuerunt editae, sed privatim ad Ordinarios transmissae. Et hoc quidem mirandae prudentiae S. Congr. Sti. Officii fuit. Illae tamen non sunt *secretae*: clericis enim, quibus normae observandae proponuntur, certo notae fieri debebant, ut de facto evenit (1). Imo nec *reservata* esse haec documenta dicit Stum. Officium aliter ac. S. Congr. de Disciplina Sacramentorum inscripsit "*Instructio Reservata*", dum proposuit doctrinam et normas "*De communione quotidiana habituali et pene generali in Seminariis, Collegiis, Communitatibus etiam religiosis et de abusibus in eadem praecavendis*". Iam vero talis

(1) Cf. inter alia: "Boletín Oficial Eclesiástico del Arzobispado de Burgos", a. 85 (1943), n. 16, págs. 356-360; "Boletín Oficial del Obispado de Salamanca", a. 91 (1944), n. 3, págs. 97-102; "Boletín Oficial del Obispado de Calahorra", a. 85 (1943), n. 1, págs. 14-19; *Ilustración del Clero*, vol. XXXVI (1943), págs. 359-363; *Sal Terrae*, vol. XXXI (1943), págs. 676-180.

Instructio, ut bene explicavit Ex.mus D. Franciscus Bracci (2), licet in AAS. non promulgata et dicta *reservata*, tamen *non erat secreta* et ipsa divulgari et commentari potuit. Quam regulam his documentis Sti. Officii applicari posse non dubitamus.

Ex his documentis Sti. Officii, aliud continet id quod Ordinariis in hac re implendum est, et aliud normas a confessariis tum in confessione interrogantibus et docentibus poenitentes tum extra confessionem in eorum conversatione cum ipsis, maxime mulieribus, servandas. Titulus harum notulorum respicit hoc ultimum punctum, quamvis seorsim nobis hic agendum sit incipientibus ab eo quod Ordinarios attinet.

II. LITTERAE AD ORDINARIOS DATAE

A) EARUM SUBJECTUM

Inscriptione ipsa "*Litterae ad ordinarios datae*", determinatur earum subjectum, sc. ORDINARIUS SINE ADDITO: "Episcopus residentialis, Abbas vel Praelatus *nullius* eorumque Vicarius Generalis, Administrator, Vicarius et Praefectus Apostolicus... pro *suis* vero *subditis* SUPERIORES MAIORES in religionibus clericalibus exemptis" (3). Unde patet subjectum huiusmodi Litterarum comprehendere et Ordinarios locorum et Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis, i.e. *fere* (4) omnes, qui ad normam can. 874, § I, et 875, § I, sacerdotibus conferunt iurisdictionem ad recipiendas confessiones suorum subditorum (5). Cuius subjecti ratio facile perspicitur ex scopo huius *Instructionis*, quae tota quanta versatur circa gravitatem et sanctitatem a confessariis in tota suae vitae conversatione servandam, ut suum munus poenitentiarium fructuosius exercere possint; naturae quippe huius rei consonum est, ut *qui confessarios constituunt, onus in se* quoque sustineant curandi per eos dignam Sacramenti Poenitentiae dispensationem.

(2) *Atti del III Congresso dei Sacerdoti Adoratori*, pag. 219, Roma, april. 1939, ubi Ex. mus Bracci, Secretarius tunc temporis S. C. de Discip. Sacrament., in Oratione ad praedictum Congressum habita, exhibuit regulam a nobis in textu positam. Cf. *Monitore Ecclesiastico*, sexta serie, vol. I (1939), pags. 245-252; LARRAONA, CPr, vol. XX (1939), pag. 210.

(3) Can. 198, § 1.

(4) Dicitur *fere omnes*, quia ex can. 875, § 1, in religione clericali exempta ad recipiendas confessiones professorum, novitiorum aliorumve de quibus in can. 514, § 1, delegatam iurisdictionem quoque confert proprius eorundem Superior quamvis non sit Superior maior, si ita Constitutiones statuunt.

(5) Iurisdictione ab Ordinario loci collata inservit ad absolvendum in eius territorio religiosos quoque exemptos "etiam a peccatis et censuris in religione reservatis". Can. 874, § 1, coll. 510.

Hoc etiam patet ex verbis “Curent igitur *Excellentissimi Ordinarii*”, in Litteris adhibitis.

Sed praecipuae huius curae partes ratione longe maioris amplitudinis sive confessariorum excipientium confessiones sive poenitentium absolventorum pertinent ad Ordinarios locorum (6). Insuper, *ii ex suo munere* advigilare debent “ne abusus irrepant... *praesertim circa administrationem sacramentorum...* et curare puritatem morum in clero” (7). Quo fit ut plura in huiusmodi Litteris Sti. Officii relata iam contineantur, tamquam partes in toto, in ipso Episcoporum munere.

B) EARUM OBIECTUM

HARUM LITTERARUM OBIECTUM, prout ad Ordinarios spectat, describitur per hoc quod ipsi debent:

a) *curare*, ut confessarii “in suo gravissimo numere obeundo” sanctissime servant normas eis in altero documento propositas, sive in terrogandis [n. I normarum], sive in instituendis [n. II norm.] fidelibus circa VI Decalogi praeceptum:

b) *perattente advigilare*, ne confessariorum agendi ratio cum mulieribus suis paenitentibus familiari consuetudine [n. III norm.] quocumque modo deonestetur. Hanc vigilantiam Ordinarii locorum “exercere possunt sive per se sive per vicarios foraneos aliosve praestantiores ecclesiasticos viros”. Ordinarii [regulares], per media ad hunc scopum apta suaeque potestati congruentia. Omnes tamen ad abusus, forte introductos, eradicandos adhibere possunt, si opus fuerit, sanctiones poenales.

c) *constituere* in suis Seminariis vel studiorum theologicorum domibus *Magistrum doctum et pium*: v. g. professorem *theologiae Pastoralis* aliumve ipsis Ordinariis bene visum, qui “mox futuros sacerdotes” *practice* doceat, exercitatione quoque ab iis peracta, quaestiones, quae, attenta diversa conditione poenitentium: puerorum, adultorum, uxoratorum, praesertim puellarum et mulierum, honeste fieri possunt, necnon modum et ordinem illas proponendi una cum verbis vernaculis in re tam periculosa adhibendis.

Ex his patet praecipuas obiecti partes respondere adamussin singulis Normis a Sto. Officio confessariis propositis cum hoc discrimine, quod ii Normas accuratissime servare debent, Ordinarii vero illarum observatiam urgere.

(6) Can. 874, § 1, et can. 876, collat. cum can. 875, § 1.

(7) Can. 336, § 2.

d) IPSIS ORDINARIIS NORMA quaedam proponitur. a) Neosacerdotibus 1) *non committant directam animarum curam*, i.e. munus parochi, oekonomi, etc., sed vicarii cooperatori aliusve similis sub assidua prudentis et provectoris sacerdotis vigilantia;

2) *non tribuant facultatem excipiendi feminarum confessiones* (8). Ob paritatem rationis idem dicendum videtur de praesentatione sacerdotum religiosorum a propriis Superioribus facienda apud Ordinarios ad obtinendam iurisdictionem audiendi confessiones mulierum vel de licentia ad usum huiusmodi iurisdictionis, si forte absque tali praesentatione eam acceperunt.

b) Observatio huius normae subordinatur necessitati, forte urgeti, aliter agendi.

e) Denique Litterae Sti. Officii in mentem Ordinariorum revocant, quod facultas [vel licentia] excipiendi confessiones fidelium, maxime feminarum, solum conferenda est sacerdoti *idoneo*, "qui certa prudentiae probitatis ac sufficientis scientiae argumenta exhibuerit" (9).

C) EARUM OBLIGATIO

Quod Litterae Sti. Officii respectu eorum, quae illarum obiectum constituunt, aliquam obligationem Ordinariis indicent, nullum esse potest dubium

1) *saltem quoad contenta* sub a) et b) § praecedentis. Nam ita constat

a) EX IPSIS STI. OFFICII VERBIS: "*Curent* igitur Excellentissimi Ordinarii, ut eadem [sc. in I et II Norma tradita] a confessariis sanctissime serventur"; "*advigilent* ne eorum agendi ratio cum mulieribus suis poenitentibus familiari consuetudine [III Norma] quocumque modo dehonestetur";

b) *ex materia de qua agitur*. Obligatio (10) enim Episcopis est: "*Advigilandi* ne abusus irrepant in ecclesiasticam disciplinam praesertim circa *administrationem sacramentorum*... curandi ut puritas... morum in cle-

(8) In nonnullis regionibus: v. g. in Italia usus habet, ut iuvenes sacerdotes iurisdictionem ad solos viros absolvendos limitatam accipiant. Cf. NOLDIM-SCHITT, *Theol. Mor.*, vol. III (Oenipote, 1940), pag. 361, n. 355. Imo in pluribus dioecesibus sacerdotes usque ad aetatem 30 vel 35 an. non obtinent facultatem excipiendi confessiones mulierum. Cf. VERMEERSCH, *Theol. Mor.*, vol. III (Romae, 1927), pag. 378, n. 451; CAPPELLO, *Tract. Canon. Mor. de Sacramentis*, vol. II, pars I, De poenitentia (Taurinorum Augustae, 1938), pag. 310, n. 395.

(9) Can. 877, § 1.

(10) Cf. BEGATILLO, *Instit. I. C.*, vol. I (Santander, 1941), pag. 237, n. 487; CORONATA, *Instit. I. C.*, vol. I (Taurini, 1928), pag. 459, n. 394.

ro... conservetur" (11). Insuper, Ordinarii loci est iudicare utrum frequentatio seu familiaritas (12) clericorum cum mulieribus etiam cum illis, in quas communiter suspicio non cadit, in peculiari aliquo casu scandalo et incontinentiae periculo esse possit; et proinde eos ab hac familiaritate prohibere (13). Quod ius simul secum fert *et officium* (14).

2) Quoad constitutionem Magistri de quo sub c) § praecedentis non videtur haberi iussio explicita. Censetur tamen contineri implicite in ipso Ordinarii officio procurandi idoneos confessarios ad dignam et fructuosam Sacramenti Poenitentiae dispensationem; medium enim moraliter necessarium afficitur *eadem obligatione* atque ipsa optati finis obtentio. S. ALPHONSUS (H. A., tr. VII) hoc ipsum docet, dum ex necessitate idoneorum confessariorum ad bonum spirituale diocesis procurandum scribit, n. 54: "Tenetur Episcopus [et servata proportione alii Ordinarii] ad eligendos bonos confessarios"; et n. 56: "Maxima debet esse Episcopi vigilantia in seligendis confessariis"; et deinde exhibet media, quibus Episcopi idoneos confessarios instituere possunt.

3) *Sub vero praecepto cadit* quod iurisdictio [aut licentia] excipien- di confessiones non concedatur nisi sacerdotibus *idoneis*, ie. *doctis, probis, prudentibus* (15).

Quaenam igitur sit natura harum obligationum, ex praecepto cui ipsae innituntur vel ex materia circa quam versantur dimetienda erit.

Alia in his Litteris tradita meram normam disciplinarem potius quam veram obligationem inducere putandum est.

III. NORMAE QUAEDAM DE AGENDI RATIONE CONFESSARIORUM CIRCA VI DECALOGI PRAECEPTUM

DE PARTIBUS HUIUS DOCUMENTI SEU INSTRUCTIONIS

DUAE SUNT HUIUS DOCUMENTI PARTES: *prima* est praefatiuncula quaedam seu introductio rationem promulgationis ipsius Instructionis exhibens; *altera* continet quatuor NORMAS seu potius quatuor normarum series vel capita, e quibus tria priora ad confessarios actu munus exercentes diriguntur et quartum ad accuratam futurorum confessariorum idoneitatem efformandam spectat.

(11) Can. 336, § 2.

(12) Can. 133, § 3. Cf. MAROTO, Instit. I. C., t. I (Romae, 1921), pag. 626, n. 543.

(13) Cf. BEGATILLO, o. c., pag. 143, n. 245; CORONATA, o. c., pag. 210, n. 192.

(14) Can. 335. Cf. CORONATA, o. c., pag. 452, n. 394.

(15) Can. 877, § 1.

P A R S I

IV. DE PRAEFATIUNCULA SEU INTRODUCTIONE

Haec triplici paragrapho absolvitur. *In prima* vindicatur constans Ecclesiae sollicitudo in tuenda digna Sacramenti Poenitentiae dispensatione; *in secunda* aperiuntur fontes e quibus indigna illius Sacramenti ministratio aut profanatio oriri solet et *in tertia* harum *Normarum* scopus declaratur.

A) VINDICATIO SOLLICITUDINIS ECCLESIAE

IN PRIMA VINDICATUR, inquam, materna Ecclesiae sollicitudo et constans eius studium, ne Sacramentum Poenitentiae, "unicum in re vel in voto perfugium peccatoribus post amissam baptismi innocentiam" (16) benignitate divina in salutem eorum datum, a) humana malitia, b) hominum inconsideratione vel levitate in animarum perniciem ac sacerdotalis sanctimoniae et dignitatis detrimentum quocumque modo vertatur.

Nec ad hanc Ecclesiae sollicitudinem declarandam magno labore opus est. Omissis enim documentis Bened. XIV (17) nomen complicis, nec ad hunc corripendum, inquirere severissime prohibentibus, nosque ad materiam VI Decalogi praecepti tantum accingentes, satis est in memoriam revocare dispositiones S. Sedis contra confessarios absolventes complicem in peccato turpi vel sollicitantes poenitentes ad turpia in confessione.

a) *Documenta contra absolventes complicem in peccato turpi.*

Notissima hac in re sunt Bened. XIV Constitutiones *Sacram. Poenitentiae* I iu. 1741 (18). *Apostolici muneris* 8 febr. 1745 (19) et Encyc. *Inter praeteritos* 3 dec. (28 nov.) 1749 (20), in quibus S. Pontifex gravibus poenis in absolventes complicem in peccato turpi animadvertit, quae sanctiones poenales a Pio IX in Const. *Apostolicae Sedis* 12 oct. 1869 § 1 n. 10 (21) retentae et confirmatae sunt. His addi debent sex decreta Sti. Of-

(16) Const. *Sacramentum Poenitentiae*, 1 iun. 1941, ad calcem CIC, doc. V.

(17) a) Encycl. *Suprema*, 7 iul. 1745, Codicis I. C. Fontes, vol. I (Romae, 1923), pags. 912-14.

b) Const. *Ubi primum*, 2 iun. 1746, o. c., vol. II (Romae, 1928), pags. 28-30.

c) Const. *Ad eradicandum*, 28 sept. 1746, ibid., ibid., pags. 44-45.

(18) Cf. Ad calcem Codicis I. C. doc. V.

(19) Cf. Codicis I. C. Fontes, vol. I (Romae, 1923), pags. 884-86.

(20) C. o. c., vol. II (Romae, 1928), pags. 276, nn. 58-59.

(21) *Pii IX* Pont. Maximi Acta, pars prima, vol. V (Romae), pag. 59.

ficii, sexque S. Poenitentiariae (22) responsa successive lata ad occludenda effugia, quibus pessimi et astuti confessarii poenas ecclesiasticas eludere conabantur; can. 884 et 2367 et Sti. Officii declaratio extensiva huius can. 2367 § 2, *facto verbo cum Sanctissimo* (23), qua decernitur includi inter *indirecte inducentes* ad tacendum peccatum complicitatis illum sacerdotem, qui *ante actum turpem cum poenitente patrandum* huic persuaderet talem actum aut nullum ut certe non grave peccatum esse eumque consequenter de aliis tantum sibi postea confitentem sacramentaliter absolvit vel fingit absolvere.

b) *Documenta contra sollicitantes ad turpia in confessione*

Nec minus nota documentis allegatis contra absolventes complicem in peccato turpi sunt haec alia documenta *Pontificia* contra sollicitantes ad turpia in confessione suos poenitentes: v. g. *Epistola* Pii IV (24), *duo Decreta* PAULI V (25), *Constitutiones* GREGORII XV (26) et *Benedicti* XIV (27), *Decretum* Alexandri VII et duas propositiones ab ipso damnatas (28). Constitutio "Apostolicae Sedis" (IV, 4), excommunicatione nemini reservata plectebat "negligentes, sive culpabiliter omittentes denuntiare infra mensem confessarios" praedictos. Tandem ad sanctitatem Sacramenti Poenitentiae vindicandam edidit Stum. Officium 24 *Decreta* et 5 *Instructiones*, S. Poenitentiaria 4 *Responsa* et S. C. de P. Fide *Instructionem*, 26 aug. 1775 et *Litteras Encyc.*, 25 iul. 1883 (29). Quae omnia in can. 894, 904, 2363 et 2368, legitimam confirmationem nacta sunt. Itaque iure meritoque Stum. Officium constans Ecclesiae studium defendendi dignam Sacramenti Poenitentiae dispensationem praefationis gratia hic celebrat.

(22) Apud DE SMET. ALOY., *De absolut, complicitis et sollicitatione* (Brugis, 1921), pags. 100-3. nn. 150-61.

(23) S. Off., 16 nov. 1934: AAS vol. XXVI (Romae, 1934), pag. 634.

(24) *Cum sicul nuper*, 16 apr. 1561: *Codicis I. C. Fontes*, vol. I (Romae, 1923), pag. 181.

(25) 19 nov. 1612 et 19 iul. 1614 apud DE SMET. ALOY., o. c., pag. 105, nn. 165-66.

(26) *Universi Domini gregis*, 30 aug. 1622: *Codicis I. C. Fontes*, vol. I (Romae, 1923), pags. 384-5.

(27) a) *Sacramentum Poenitentiae*, 1 iun. 1741, l. c.

b) *Esti pastoralis* 26 maii 1742: *Codicis I. C. Fontes*, vol. I (Romae, 1923), pag. 751, § 9, n. V.

c) *Apostolici Muneris*, supra citata, § 2.

(28) 1) *Decretum Alexandri VII*, 8 iul. 1660 apud DE SMET. ALOY., o. c. pag. 108, pag. 175.

2) *Propositiones damnatae* 1106 et 1107 DB 1106-7.

(29) Haec omnia documenta Sti. Officii, S. Poent. et S. C. de P. Fide apud De Smet, Aloy., o. c. pags. 107-128, nn. 163-205, exceptis nn. 175, 177, 185 et 186.

B) DUPLEX RADIX INDIGNAE ADMINISTRATIONIS SACRAMENTI
PAENITENTIAE

I.^a “*Oblivio debitae prudentiae in interrogandis et instituendis poenitentibus circa VI Decalogi praeceptum.*” Nam confessarius tenetur *ratione sui officii* procurare integritatem confessionis interrogando poenitentem, supplendo, cum opus fuerit, eius defectum. Idem dicendum est de poenitentis institutione. Ab hoc autem officio circa VI Decalogi praeceptum deficere potest confessarius: a) NEGLIGENTIA, si non interrogat vel non instituit, cum utrumque vel alterutrum facere debet, vel si ineptus ad haec moderate et rite adimplenda negligit se ad ea idoneum reddere; b) NIMIO ZELO SUUM IMPLENDI OFFICIUM, sc. si confessarius immemor “*asperitatis rei*” quam tractat confessionis integritatem immoderate procurat interrogando res, circumstantias, peccatorum modos, quae silentio premere operteret; vel si instituit poenitentem circa res quarum ignorantia ipsi magis proficua evaderet. Ex tali procedendi modo non leve periculum tum poenitentibus tum ipsis confessariis creatur. Porro HAEC RADIX *eo periculosior ac pernitiosior* evadit quo sub *fucata specie boni*, ie. melius implendi proprium confessarii officium et quarendi maiorem poenitentis profectum spiritualem se exhibet.

2.^a *Oblivio sanctitatis et gravitatis clericalis in tota agendi ratione confessoriorum, maxime cum mulieribus.* Quantum haec agendi ratio opponatur moderatae confessoriorum conversationi iugiter ducendae apparet ex acri commonitione initiandis sacerdotio a Pontificali Romano facta: “*Providendum est ut coelestis [sacerdotum] sapientia, probi mores et diuturna iustitiae observatio ad id [munus] electos commendet*” (30).

Concilium Tridentinum, de vita et honestate clericorum agens, eos hortatur non oblivisci fidelium oculos in clericos tamquam in speculum coniectos esse ex iisque illos sumere quod imitentur. “*Quapropter, concludit Sacrosancta Synodus, sic decet omnino clericos, in sortem Domini vocatos, vitam, moresque suos componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nihil nisi grave, moderatum ac religione plenum prae se ferant*” (31). Iam vero nihil magis contrarium huic gravissimae monitioni tridentinae quam “*si tota agendi ratio [confessarii], maxime cum*

(30) PONTIFICALE ROMANUM, *De ordinat. Presbyt.*, admonitio Pontf. ad ordinandos (Martii, 1773), pág. 47.

(31) Sess. 22, cap. 1 De reform.: LOS SACROS. CONC. TRID. Y VATIC. en latín y castellano, por D. ANASTASIO MACHUECA (Madrid, 1903), pág. 252.

mulieribus, DEBITA SANCTITATE ET GRAVITATE CAREAT". Ex hac enim gravia mala quasi necessario oriuntur: a) "scandalum seu offensio fidelium"; b) "suspicionum ansae"; c) et, quod peius est, profanationis Sacramenti initium evadere potest". Quae Pius X, de necessitate sanctitatis in sacerdotibus scribens, compendiose expressit his verbis: "Unde autem sanctitas abest, ibi corruptionem inesse oportet" (32).

C) NORMARUM SCOPUS

Normae hanc duplicem radicem venenatam funditus evellere contendunt. Ad quod obtinendum Stum. Officium eas tamquam medium aptissimum observatas vult.

Subiectum cui illae proponuntur est duplex: a) ACTUALES CONFESSARII, sc. qui munus audiendi confessiones iam exeunt; b) et FUTURI CONFESSARII, seu qui in Seminariis et scholis Theologicis adhuc instituuntur. Omnes matura et attenta consideratione studio regularum incumbere debent, licet aliter et aliter; illi nimirum ut eas *ex nunc* in praxim fructuose deducant; ii vero, ut cum tempus opportunum advenerit, tamquam ministri periti et exercitati a pio Magistro tantum excipiendi confessiones munus absque discrimine et sine augustiis ab ipso initio exercent.

P A R S I I

V. DE IPSIS NORMIS A CONFESSARIIS SERVANDIS

Fere totum huius Instructionis momentum huic secundae inest parti, quae, ut innuimus, quadruplicem continet normarum seriem.

Prima respondet officio IUDICIS ministri Sacramenti Poenitentiae. Ideo agit de *interrogationibus* a confessario interconfitendum faciendis vel omittendis.

Secunda, officiis MEDICI et DOCTORIS seu MAGISTRI, et proinde de prudentia et gravitate servanda in *institutione* et *monitione* poenitentium.

Tertia tradit *cautelae* sive intra sive extra confessionem adhibendas ad familiaritatem vel periculosam amicitiam confessarium inter et poenitentes, maxime mulieres, vitandam.

Quarta denique indicit necessitatem instituendi futuros confessarios quoad interrogationem et instructionem poenitentium circa VI Decalogi praeceptum. De singulis in particulari agemus.

(32) *Exhortatio ad clerum catholicum "Haerent animo"*, 4 aug. 1908 ASS vol. XLI (Roma), pag. 557.

VI. DE INTERROGATIONIBUS IN CONFESSIOE FACIENDIS VEL OMITTENDIS

Stum. Officium in hoc primo Normarum capite tria comprehendit:

- a) *interrogationes* faciendas vel omittendas;
- b) *modum* in interrogationibus servandum;
- c) *qualitates* ipsarum interrogationum.

A) DE INTERROGATIONIBUS INTER CONFITENDUM FACIENDIS VEL OMITTENDIS

I. OFFICIUM CONDICIONALE IUDICIS: interrogare poenitentes et quidem prudenter.

“Codex I. C. peropportune monet, scribit Stum. Officium, ne confessarius curiosis aut inutilibus quaestionibus *maxime circa VI Decalogi* praeceptum, quemquam detineat, et praesertim iuniores de his quae ignorant imprudenter interroget” (33).

Supponit igitur Stum. Officium, sicut et laudatus canon CIC, obligationem confessarii interrogandi poenitentes. Et quidem ita est. Confessarius est iudex (34) et sententiam absolutionis vel retentionis peccatorum *incognita causa* (35) ferre non potest. Poenitens autem *culpabiliter* vel inculpabiliter saepe deficit a causa *integre* et *rite* exponenda. Exinde igitur exurgit in confessario, iudicis personam sustinente, obligatio illum interrogandi.

Insuper, confessarius in suis quaestionibus prudentiam servare debet. Documenta ecclesiastica utramque confessarii obligationem et interrogandi et prudenter interrogandi simul memorant: “Sacerdos autem sit *discretus* et *cautus*, ait Conc. Lateranense IV (36), ... *diligenter inquirens* et peccatoris circumstantias et peccati”. Fere eadem habet Rituale Romanum (37) et theologi uno ore hanc doctrinam docent.

Haec confessarii obligatio, licet *conditionata et secundaria*, sc. *si et quatenus poenitens deficiat*, tamen est *per se gravis*; agitur enim de re gravi ad Sacramenti reverentiam et ad poenitentis salutem spectante.

(33) Can. 888, § 2.

(34) CONC. TRID. sess. XIV cap. V DB 899.

(35) Id. *ibid.*

(36) Cap. 21: “*Omnia utriusque sexus fidelis*” DB 427.

(37) Tit. III, cap. 1, n. 16.

2. INTERROGATIONES PRUDENTES ET IMPRUDENTES.

Si confessarius *inquirere et discrete* inquirere tenetur, iure merito iam quaeritur: quatenus sunt interrogationes prudentes vel imprudentes? Attenta perspicua doctrina Sti. Officii ita responderi potest:

a) *prudentes* sunt illae interrogationes "quae supplendae poenitentis' accusationi eiusdemque animi dispositionibus cognoscendis NECESSARIAE sunt";

b) *imprudentes*, ceterae omnes, utpote otiosae, inutiles, curiosae, similesve (38).

Ex quo patet huiusmodi responsum seu regulam desumi *ex officio confessarii, ut iudicis, complendi*, si opus fuerit, *integritatem confessionis* in defectu poenitentis et cognoscendi necessarias eius dispositiones, ut hic valide absolvatur.

A) *Integritas confessionis in defectu poenitentis procuranda.*

a') Poenitens ut reus afferre debet iudicio sacramentali *integram causam*, sc. totam materiam necessariam (39) circa quam illud exercetur. Ideo *iure divino* tenetur confiteri omnia et singula mortalia post baptismum commissa et nondum per claves Ecclesiae directe remissa, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habeat, et circumstantias in confessione explicare, quae speciem peccati mutant (40), ie. omnia dicta peccata quoad numerum, speciem infimam moralem, circumstantias speciem moralem vel theologiam mutantem aut addentes, modo tamen poenitens huiusmodi malitias specificas peccando cognoverit, ac proinde contraxerit.

b') LAESIO INTEGRITATIS CONFSSIONIS ex parte poenitentis praecipue locum habet a) *ex verecundia confitendi* peccata turpia contra VI Decalogi praeceptum; b) *ex neglectu examinis* secundum poenitentis condicionem; c) *ex defectu memoriae* et d) *ex ignorantia religionis*. Praedita laesio fit *mala fide*, si oritur ex *rubore* vel *ex neglectu formali* diligentis examinis; *bona fide*, si procedit *ex defectu memoriae*, *ex inculpabili* examinis, *negligentia* vel ignorantia aliave simili causa. Iam vero huic laesioni integritatis confessionis, culpabili vel inculpabili, *probabiliter existenti* mederi debet confessarius. Ipse est iudex et ad legitimam sententiam ferendam integre

(38) Stum. Officium non meminit, utpote innecessario, interrogationes a DD. *noctuas* dictas, quia earum usus a fortiori vetitus est. Interrogationes, quas aliqui DD. *utiles* appellant, in interrogationibus *necessariis* inclusae censentur. Quare de *utilibus* hic sermonem in specie habere necesse non est.

(39) Ex praecepto divino integritas *materialis* quantum fieri moraliter potest servanda est. Ita ex Conc. Trid. sess. XIV cap. V et can. 7 DB 899, 817. Nam integritas *formalis* semper requiritur ad validam et fructuosam Sacramenti susceptionem.

(40) Can. 901 coll. cum Trid. l. c.

causam cognoscere debet. Ideo tenetur urgere ut suo tribunali afferatur id quod causae deest, sc. ut manifestentur circumstantiae, malitiae, peccata ipsi a poenitente quovis modo celata. Ad hoc autem obtinendum interrogationes sunt omnino *necessariae* (41); imo eo magis *necessariae* sunt interrogationes et eo *gravior* est confessarii obligatio eas eliciendi quo *probabilius* censetur confitens peccatum *culpabiliter* reticere.

c) CONCLUSIO. CONFESSARIUS RATIONE INTEGRITATIS CONFSSIONIS IN DEFECTU POENITENTIS PROCURANDAE tenetur *per se* et *vi officii iudicis* ipsum interrogare “quoties *rationabiliter suspicatur* confitentem aliquid necessario manifestandum bona vel mala fide tacere”: v. g. aliquod peccatum numerice distinctum, speciem infimam moralem peccatorum turpium, an sint cogitationis, desiderii, operis; si operis, an sint solitarie vel cum complice patrata: circumstantias specificas incestus, sacrilegii, etc.

Dicimus *per se* et *vi officii*, quia aliquando confessarius *per accidens* abstinere debet ab instituenda interrogatione etiam ad integritatem necessaria, sc:

“*Quoties ex interrogatione prudenter timetur vel poenitentis scandalum vel ipsius confessarii ruina.*”

Stum. Officium hanc exceptionem *scite* hic memorat; in hoc enim casu agitur de gravi damno confessioni ipsi extrinseco. “Divinum autem de confessionis integritate praeceptum [utpote positivum] cum tam gravi incommodo non urget.”

Eandem doctrinam omnes moralistae docent, cum inter causas morales ab integritate confessionis excusantes ponunt et hanc: “*Excusat ab integritate confessionis... periculum scandalum vel lepsus ex parte sirve poenitentis sive confessarii*” (42).

d) Hoc tamen discrimen inter nonnullos auctores et Stum. Officium adesse videtur, quod illi utuntur *verbis facultativis*: “*potest omittere* interrogationes, licet *per se necessarias*”, dum S. Officium locutionem praeceptivam adhibet: “*eadem [interrogatione] abstinendum esse*”. Unus pro illis audiatur Cappello (o. c., n. 212) ita scribens: “Confessarius, qui interrogando de rebus turpibus sibi vel poenitenti periculum peccandi timet, *POTEST* omittere interrogationes, licet *per se necessarias*”. En verba Sti. Officii: “*Quoties vel poenitentis scandalum vel ipsius confessarii ruina ex interrogatione prudenter timeatur, EADEM ABSTINENDUM ESSE*”.

(41) “Frequenter, quae prae confusione confitens taceret, interrogatus revelat”, ait S. Thom., 4 Sent., d. 19, q. 2, a. 3, in exposit. textus.

(42) Cf. inter alios: AERTNYS-DAMEN, *Theol. Mor.*, vol. II (Romae, 1939), pag. 214, n. 305; MERKELBACH, *Theol. Mor.*, vol. II (Parisiis, 1933), pag. 477, n. 525, c. 4; FERRERES, *Theol. Mor.*, t. II (Barcinone, 1932), pag. 325, n. 600, 7.º

e') Quid in dubio num ex tali interrogatione oriatur poenitentis scandalum aut ipsius confessarii ruina? Interrogatio omittenda est. Ita Stum. Officium in memoriam revocans illud commune DD. monitum: IN MATERIA LUXURIAE MELIUS EST IN PLURIBUS DEFICERE [non interrogando] QUAM IN UNO SUPERABUNDARE RATIONE INTEGRITIS CONFSSIONIS" (43) cum ruinae periculo; minus enim malum est integritati confessionis deesse, quam animae perdendae discrimen incurrere.

b) *Necessariae dispositiones poenitentis a confessario cognoscendae.*

a) Contritio seu dolor de peccatis commissis cum proposito non peccandi de cetero, satisfactio in *voto*, sc. quoad acceptationem *saltem implicitam* et confessio dolorosa omnium peccatorum sunt actus poenitentis *necessarii et essentialis* (44) ad valorem Sacramenti Poenitentiae. Ii actus etiam appellantur *dispositiones necessariae* poenitentis. Contritio fit veluti *sensibilis* ex ipsa peccatorum confessione, quae ideo *confessio dolorosa* dicitur.

Confessarius autem has poenitentis dispositiones cognoscere debet, ne Sacramentum *indisposito frustra* aut *sacrilege* ministret. Quoties igitur bona confitentis dispositio ex peccatorum accusatione non appareat, confessarius *gravi obligatione* illum interrogandi obstringitur. In his enim adiunctis confessarius signa doloris saltem sufficientia in poenitente quaerere debet, ut in casu negativo omnes suas vires cum Dei adiutorio exserat, illum ad verum peccatorum dolorem movere contendens. En igitur alius fons ex quo haud *paucae interrogationes necessariae* circa VI Decalogi praeceptum profluunt.

b) Ad hunc *ipsum scopum* poenitentes peccatis turpibus irretiti a confessario interrogandi sunt:

1) CIRCA OCCASIONES PROXIMAS PECCANDI sive liberas sive necessarias, de animi dispositione ad illas statim deserendas, ad has, mediis opportunis adhibitis, saltem remotas efficiendas; an et quantum post praecedentem confessionem ab his culpis abstinuerint; an et quomodo media praescripta exequuti fuerint, etc.;

2) CIRCA OBLIGATIONES GRAVES ex actu turpi forte exortas: v. gr. si proles nata est; si stuprum, etiam late dictum, adfuit, etc.;

3) CIRCA CAUSAS PECCATORUM, num hae a defectu custodiae sensuum, a cogitationibus et desideriis impuris, a proclinationibus, etc., procedant; num

(43) Cf. FERRERES, o. c., pag. 401, n. 722.

(44) Necessarium nobis non est tangere controversiam utrum praedicti actus poenitentis sint materia proxima huius Sacramenti (S. Thom., 3, q. 84, a. 1 ad 1 et 2 et a. 2), ex qua *intrinsicè* ipsum componitur ut opinio valde communior vult, an sint *condictio necessaria praerequisita* ut absolutio suo effectu non careat secundum aliorum theologorum placita.

peccandi habitum vel consuetudinem contraxerint aut in recidivatum inciderint et alia permulta, quarum cognitio confessario necessaria est ad rectum iudicium de poenitentium dispositione vel indispositione ferendum.

Tales interrogationes *moderatae et discretas*, ut pote *necessariae, prudentes* aestimandae sunt.

c) *Poenitentes suspecti de onanismo interrogandi.*

Non defuerunt confessarii existimantes consultius esse neminem de onanismo interrogare eo quod aliqui huic pessimae praxi indulgentes in bona fide reperiantur, ne ex ea disturbentur.

Iidem arbitrabantur *moneri non debere* poenitentem de gravitate huius peccati, quia forte rem non ita gravem esse existimet (45).

Alii generatim interrogare negligunt sub praetextu quod sit nimis onerosum, vel quod mos interrogandi amplius non existat, aut quod usus onanismi ubique tam generalis est, ut merito timeatur quod diligenter interrogando atque rigore procedendo multi propterea ecclesiam et sacramenta frequentare cessent (46).

1) Contra has theorias et praxim est doctrina Ecclesiae, qua edocemur *confessarium teneri regularitater*.

a) AD INTERROGANDUM POENITENTEM *de onanismo*, quando adest *fundata suspitio* eum tali vitio addictum esse. En condicio: *fundata suspitio* de onanismi peccato;

b) etiam si praevideatur multos a *bona fide* esse exturbandos, *multosque deserturos* sacramenta (47);

c) *interrogationem*, ut evidens est, debere esse prudentem et discretam.

2) Idem iam tradiderat Stum. Officium damnando uti *falsam, nimis laxam* et in praxi periculosam hanc propositionem: "*Nunquam expedit interrogare de hac materia* utriusque sexus coniuges, etiamsi *prudenter* timeatur ne coniuges, sive vir, sive uxor, abutantur matrimonio" (48).

3) Denique Pius XI adversus onanismum haec docet: "Ecclesia catholica... in signum legationis suae divinae, altam per os Nostrum extollit vocem atque denuo promulgat: quemlibet matrimonii usum, in quo exercendo, actus de industria hominum, naturali sua vitae procreandae vi des-

(45) Cf. *Resp. S. POENT.* 10 mart. 1886 apud AERTNYS-DAMEN, o. c., pag. 610, n. 917.

(46) MERKELBACH, *Quaestiones Pastorales III. De varitis poenit. categor.* (Paris, 1933) pag. 28, V.

(47) S. POENT., *Resp. cit.*

(48) Apud FERRERES, o. c. pag. 641, n. 1.153, QUAE. 2.º

tituatur, Dei et naturae legem infringere, et eos, qui tale quid commiserint, gravis noxae labe maculari." Dein confessarios circa hoc delictum ita *gravissime* monet :

"Sacerdotes igitur, qui confessionibus audiendis dant operam, aliosque qui curam animarum habent, pro suprema Nostra auctoritate et omnium animarum salutis cura, admonemus, ne circa hanc gravissimam Dei legem fideles sibi commissos *errare sinant*, et multo magis, ut ipsi se ab huiusmodi falsis opinionibus immunes custodiant, neve in iis ullo modo conneveant. Si quis vero confessarius aut animarum pastor, quod Deus avertat, fideles sibi creditos aut in *hos errores ipsemet induxerit*, aut saltem *sive approbando sive dolose tacendo* in iis confirmaverit, sciat se supremo Iudici Deo de muneris proditione severam redditurum esse rationem, sibique dicta existimet Christi verba: *Caeci sunt, et duces caecorum: caecus autem si caeco ducatum praestet, ambo in forream cadunt*" (49).

Ratio in promptu est. Onanismus enim est nocivus: a) *bono humano*; b) *poenitenti* ob pravum habitum quem contrahit; c) *religioni*, ob scandalum *si pii* illum sectantur; vel *si silentium confessariorum* velut permissio aut tolerantia aestimatur. Ignorantia invincibilis, saltem diuturna, vix in onanistis admitti potest. Est "peccatum ad coelum clamans" (50), vindictam divinam iam his in terris quaerens (51).

D) Conclusiones.

EX DICTIS PATET ESSE INTERROGATIONES.

a) *necessarias* ideoque *prudentes*, quae a confessariis fiunt: 1) *supplendum ex parte* vel etiam *ex toto* (52) *defectum* examinis poenitentis ratione integritatis confessionis obtinendae; 2) ad *necessarias* animi eiusdem *dispositiones* cognoscendas; 3) relate ad *onanismum detegendum et corrigendum*, cum *fundata suspicio* de eodem in poenitentem cadit.

b) *otiosas et inutiles* ideoque *imprudentes et omittendas*, quae ad unum ex tribus capitibus memoratis rite obtinendum *necessariae non demonstrantur*.

Ratio est quia secundum Stum. Officium interrogationes confessarii in materia VI Decalogi praecepti sunt vel *necessariae* vel *otiosae* aut *inutiles* sine termino medio.

(49) *Ex Encyc. "Casti connubii"*, 21 dec. 1930, AAS, vol. XXII (Romae), pag. 560.

(50) *Cf. Instruct. Episcop. Belgii* parochis et confessariis contra vitium onanismi, 2 iun. 1909 apud NRTh, vol. XLI (1909), pag. 617.

(51) FERRERES, o. c., pag. 630, n. 1150.

(52) Haud raro confessarius supplere debet examen poenitentis. In hoc casu, ait Stum. Officium, confessarius "non ultra prudentis conjecturae modum, attenta poenitentis conditione, percontando, progrediatur".

E) *Applicationes practicae.*

"OMITTENDAE SUNT INTERROGATIONES, ait Stum. Officium, utpote inutiles, molestae atque hac in re periculi plenae."

1.° QUOTIES CONFESSARIUS, attenta poenitentis confessione, et *peccata et bonas animi dispositiones ex integro satis cognoscere existimat*. Ita ordinarie accidit cum clericis, religiosis utriusque sexus, personis piis alisque fidelibus qui suam conscientiam sponte et rite aperiunt. Idem dic relate ad onanismum quando agitur de coniugibus super quos nulla talis delicti datur coniectura.

2.° "DE PECCATIS *quorum nulla* cadit in poenitentem positiva atque firma suspicio."

3.° "DE PECCATORUM SPECIEBUS, quae haud verisimile est ipsum contraxisse."

4.° "DE PECCATIS MATERIALIBUS, nisi ipsius poenitentis bonum vel avertemdum mali communis periculum monitionem postulet vel suadeat" (53).

5.° "DE CIRCUMSTANTIIS MORALITER indifferentibus."

6.° "DE MODO *quo peccatum* commissum est." Circa hoc notare oportet interrogationes *de modo, quo* peccatum turpe patratum fuit, facile casum sollicitationis in confessione constituere vel saltem ansam illud suspicandi praeberere posse.

F) *Casus specialiter considerandus.*

"SI PAENITENS SPONTE, seu prae inscitia seu *prae scrupulis* seu tandem *prae malitia*, in explicandis luxuriae peccatis vel tentationibus modum excedat aut pudicitiam verbis offendant, id confessarius prudenter, at prompte ac fortiter, cohibere ne omittat."

Ita enim petit: a) *sanctitas et dignitas Sacramenti*, cuius reverentia etiam in peccatorum accusatione servari debet; b) *remotio periculi lapsus* sive confessarii sive poenitentis; nam vivida impressio ex tali accusatione in phantasia producta, non semper facile deletibilis, haud exiguum pro alterutro vel utroque peccandi periculum creat, non tantum in actu confessionis sed etiam postea. Itaque quaevis minutissima et innecessaria peccatorum ac tentationum narratio discrete et prompte interdicenda est. Etenim si ea procedit 1) *ex ignorantia*, ita poenitens salubriter docetur et si-

(53) Huius commatis expositio proprium locum habet ubi de monitione poenitentis, § VII, A), b').

mul corrigitur; 2) *si ex scrupulis*, ita exsiccatur fons novorum scrupulorum exinde exurgentium; 3) *si ex malitia*, ita insana illius audacia merito re-tunditur.

Insuper, dispositio morbida quarundam feminarum, praesertim ex hys-terismo orta, circa modum narrandi sua peccata tentationesque contra cas-titatem statim severa et prudenti correptione curanda est; secus confessa-rius, illarum agendi rationi indulgens, difficulter ex suo sacro ministerio illaesus exiit.

Denique graves Theologiae Moralis et Medicinae Pastoralis AA. gra- vissime et instanter confesarios monent, ut sibi praecaveant a feminis, ma- xime hystericis, quae *se delectant*, licet prima fronte contrarium videatur in subtilissimis relationibus suorum peccatorum et tentationum contra cas- titatem. Sic enim illae sibi commiserationem conciliare et simul affectum confessarii alicere cupiunt et contendunt. Quo fit ut confessarius, non prae- cautus, sensim sine sensu in gravissimum periculum ruat, nisi tempestive et fortiter tales narrationes intercipiat.

B) MODUS IN INTERROGATIONIBUS SERVANDUS

“Confessarius interrogando, inquit Stum. Officium, cautissime sem- per procedat, propositis prius generalioribus quaestionibus, ac postea, si casus ferat, magis definitis interrogationibus.”

Regula clara est eamque AA. unanimiter tradunt, cum catalogum quae- stionum pro examine poenitentis in confessione, maxime generali, texunt (54).

AA. initium interrogandi circa VI Decalogi praeceptum ita a *puritate modestia et cogitationibus* sumunt; 1) An conscientiam tranquillam habeant circa puritatem et modestiam? 2) An delectatus sit in cogitationibus im- puris et voluntarie?, etc. (55). Nihil contra hanc methodum dicemus. Li- ceat tamen nobis innuere quod ex propria et aliena experientia compertum habemus.

Adolescentuli et puellae ab 11 ad 14 vel 15 annos in his interrogatio- nibus de *puritate, modestia, cogitationibus* INCASTIS *directe ipsis proposi- tis* generatim eas non intelligunt de actionibus et cogitationibus contra cas- titatem, sed de cursibus, ludis plus minusve agitatibus aliove simile, sed sine ulla relatione ad pudicitiam. Ideo nullus profectus ex dictis quaestionibus

(54) Cf. inter alios: MARC-GESTERMANN, *Theol. Mor.*, t. II (Lugduni, 1934), págs. 779-781. NOLDIN-SCHMITT, *Theol. Mor.*, vol. III (Oeniponte, Lipsiae, 1940), págs. 442, n. 427; MERKELBACH, *Quaestiones Pastorales*, III, supra cit., pag. 16.

(55) MERKELBACH, *Marc-Gestermann*, II. CC.; CAPPELLO, o. c., pag. 601, n. 762.

directe illis delatis solet obtineri. E contra, si de cantilenis auditis, de spectaculis et cinematographis, de imaginibus minus honeste vestitis in schedulis chartaceis (tarjetas postales) vel aliis similibus contemplatis prius illos interrogas, statim pueri te intelligent cum deinde quaestiones circa puritatem, modestiam, cogitationes impuras, desideria et alia de VI Decalogi praecepto eis deferas; et si quid *culpa* ipsi in hac materia admiserunt, recte de illis accusari solent. Huiusmodi ratio desumenda esse videtur ex eo quod pueri ex visu et auditu, sc. SENSIBUS DISCIPLINAE, primo percipiunt tamquam inordinata ea exteriora, quae modestiae et puritati obstant. Cum autem illi ex interrogationibus confessarii cognoscunt malum esse voluntarie tales cantilenas audire et tales imagines contemplari, exinde colligunt suas cogitationes et desideria in hac re, nempe puritate, modestia, etc., *culpa non vacare*. Ideo statim de his interrogati, sua in hoc peccata, si quae habent, sincere manifestant.

Insuper, silentium puerorum in hac materia non semel procedit *ex rubore* manifestandi suas cogitationes, desideria, actiones contra castitatem. Sed, fracto *rubore* per resposas data interrogationibus de cantilenis et de imaginibus minus decenter vel inhoneste depictis, iam facile fatentur sua cogitationis, desiderii, etc., contra puritatem admissa, si quae ipsis sunt. Unde opinamur interrogatorium adolescentulis utriusque sexus ita proponendum esse:

1.º Nunquid cantilenas audisti? —Nunquid aliquae earum erant pravae?—obscenae? Et iuxta responsum procedere: —Nunquid tu eas cecinisti?—Dein, si casus, ferat, gradum facere ad interrogationes —*cogitationum* — *desideriorum* — etc.

2.º Nunquid cinematografo interfuisti? —Nunquid imagines minus honeste vestitas vidisti? —Et, attento responso, definitius quaerere: —Nunquid puerum vel puellam non satis decenter vestitum contemplasti? —Et tu...? —Deinceps, si opportune videtur, interrogari possunt de *cogitationibus*—desideriis—, etc.

NB. Similes interrogationes de photographiis, imaginibus chartaceis depictis institui queunt.

C) QUALITATES INTERROGATIONUM

“Interrogationes, prosequitur Stum. Officium, sint *breves, discretas, honestas.*”

A) BREVES IN SE. Attamen interrogationes debent esse clarae et perspicuae, attenta poenitentis condicione, ut hic eas bene calleat et responsum definitum, non ambiguum, det.: v. gr., legisti libros prohibitos?

B) DISCRETAE. Ideo *interrogationes paucae et cautae*.

1.º PAUCAE. Excessus quaestionum poenitentes exasperare solet ipsisque non semel *suspicionem* ingerit *curiositatis* ex parte confessarii, quo fit ut illi plura peccata reticeant. Denique nimia interrogandi anxietas Sacramentum cum poenitenti tum confessario odiosum reddet. Confessarius igitur, ut dictum est, quaeret tantum necessaria ad integritatem confessionis secundum capacitatem subiecti, et hoc *moderate, diligentia ordinaria*.

2.º CAUTAE sive quoad res quaesitas sive quoad modum interrogandi. Haec cautela maxime cum feminis et adolescentibus servanda est. Huc facit regula superius commemorata: "In rebus luxuriae melius est in pluribus quoad materialem confessionis integritatem deficere quam in uno superabundare cum probabili scandalo vel ruina poenitentis." Hinc non interrogabis:

a') DE PECCATIS ET EORUM SPECIEBUS, quae poenitens secundum eius condicionem verisimiliter non admisit;

b') DE IIS, quae poenitenti praebeant occasionem inquirendi vel loquendi de actis in confessione, aut quocumque modo eum offendere vel peccatum docere possint.

c') Cum adolescentibus vitanda sunt verba, quae periculosam in eis curiositatem excitare valeant, uti pollutio, fornicatio, homosexualitas, sodomia, onanismus...

d) GENERATIM, cum poenitens religiose excultus negat cogitationes et desideria, non est ultra procedendum. Attamen rudiores et ignari, his negatis, verba et opera fatentur, eo quod peccata interna declaranda esse nesciant vel ad ea non aequè attendant. Quare, post peccata externa confessata, interrogandi sunt num de his rebus cogitaverint vel desiderium ea patrandi habuerint (56).

e') CUM IIS QUI PROBABILITER PECCATA RETICENT. Si id faciunt: 1) *ex ignorantia* vel *simplicitate* examen in hac materia incipere oportet a generalioribus et levioribus; v. gr., a cantilenis vel verbis auditis, aspectibus, familiaritatibus, tactibus, etc.; 2) si *ex rubore* vel *timore*, eos interrogare expedit (bestialitate et sodomia primo intuitu semper excepta) de

(56) Cf. S. ALPH., *Theol. Mor.*, Ed. Gaudé, t. III (Romae, 1909), pag. 655, l. VI, n. 632, ubi S. D. excribit Busembaum.

aliis gravioribus: v. gr., de fornicatione, quia, graviori declarato, cetera facile manifestantur (57).

C) HONESTAE, ie. "Debitatis prorsus locutionibus quae phantasiam vel sensum moveant aut pias aures offendant". Haec enim verecunde sunt tractanda. Ideo confessarius in antecessum paratas habeat formulas, quibus *honestius* actus luxuriae exprimere possit. Ad relationes sexuales designadas nunquam usurpabit voces copulan, coitum, vel similes; sed cum coniugatis loquetur *de officio* coniugali, de usu matrimonii, de actu seu relatione matrimoniali; cum solutis autem, num actum proprium coniugum vel matrimonii posuerint, vel tanquam coniugati egerint.

D) TEMPESTIVAS *seu tempore, ordine et modo opportuno*. Ideo licet quaedam interrogationes bene proponantur a) *initio*, b) *in decursu*, c) *et in fine* confessionis, tamen *de peccatis contra castitatem nunquam* quaerendum est *initio confessionis*; sed spectandum est tempus opportunum iuxta ordinem consuetum accusationis a poenitente factae vel examinis a confessario propositi. Secus ille saltem curiositatem in confessario suscipari posset, quod forte causa aliquod peccatum turpe celandi esset.

REPREENSIO *peccati obsceni*, quae semper debet esse *paterna* et *caritate suffusa*, nonnisi finita confessione habeatur, "ne, si interconfitendum fit, poenitens, exterefactus, aliquod admissum reticeat".

VII. DE INSTITUTIONE ET MONITIONE POENITENTIUM

Hactenus *de officio Iudicis* longius egimus: nunc brevius agemus de munere *Magistri et Medici*, quatenus confessarius poenitentes *instruit et monet*. Porro si *gravitas* et *prudencia* confessario interroganti necessariae sunt, non minus ipse iis opus habet in illorum *institutione et monitione*.

Confessarius, ut suo officio rite fungatur, plura scientiae medicae relativa ad constitutionem et functiones organorum sexualium scire debet; sic enim facilius et praecisius peccata luxuriae intelligit, imo quo plura huius scientiae medicae cognoscit, *minus in hac materia interrogare indiget*. Sed quia non omnes confessarii hac scientia secundum exactam prudentiae normam uti sunt et inde abusus iam prodire, Stum Officium ad hoc malum eradicandum et in posterum impediendum statuit hoc principium in nota praesenti materia alte tenendum:

CONFESSARIO HAUD CORPORUM SED ANIMARUM CURATIO CONCREDATA EST, ie. *ipse est magister et medicus animarum, non corporum.*"

(57) Ita AA.

Tria ex hoc principio breviter elucidanda veniunt: 1.° Quid confessarius poenitentes docere et monere debeat; 2.° Quid eos docere et monere illi vetetur; 3.° Quomodo illa docere et monere debeat.

A) QUID CONFESSARIUS POENITENTES DOCERE ET MONERE DEBEAT.

a) CONFESSARIUS DOCERE DEBET POENITENTEM 1) omnia ad sacramentum *hic et nunc* rite suscipiendum: ideo veritates de *necessitate medi* credendas et dispositiones necessarias, si ille iis indiget ut illud fructuose recipiat; 2), obligationem quam habet discendi necessaria *necessitate* praecepti, dolorem de praeterita negligencia culpabili, si quae fuit, et quod concipiat serium propositum ea quamprimum discendi una cum mediis ad exercitium virtutum et sibi a peccatis cavendi. Et de his nunc satis.

b) MONERE POENITENTES.

POENITENS MONENDUS EST QUOTIES.

a') *ex conscientia erronea* putat esse peccatum ubi non est, vel mortale ubi est veniale.

b') *versatur in ignorantia invincibili* erga prima principia moralia vel proximas eorum conclusiones, quia illa diu non erit invincibilis. Idem dic, si ex illa redundat damnum contra bonum commune; confessarius enim, minister constitutus in bonum reipublicae christianae, tunc tenetur proferre bonum publicum bono privato poenitentis, licet praevideat correctionem huic non esse profuturam. Qua de re omnino admonendi sunt principes, praetores, confessarii, parochi, qui proprio officio desunt (S. ALPH., PRAX. CONF., cap. I, n. 9).

c') *ex ignorantia vel conscientia erronea* inducitur proximum periculum peccandi vel manendi in peccato: v. gr. si poenitens ignorat pollutionem esse peccatum, quia habitus ita contractus difficulter postea evelletur. Idem dic de aliis actionibus turpibus. Hinc relate AD PROCATIONEM monebit vel docebit, prout casus ferat, sponsos *eam esse*.

1) LICITAM, si *fit serio animo* futuri matrimonii relative proxime ineundi;

2) ILLICITAM, si non intenditur serio contrahere, vel intra tempus rationabile, matrimonium;

3) *honesto modo peragendam*, peccandi occasionem, debitis cautelis adhibitis, avertendo;

4) *esse abrumpendam*, cum procatio sit *ocasio proxima peccandi* et sine gravi damno praesenti matrimonio renuntiari potest ob spem alterius aequalis valoris;

5) *esse emendandam*, si est moraliter necessaria pro matrimonio futuro, proponendo sponsis media illam reddendi remotam.

Denique opportune monendi vel docendi sunt iuvenes utriusque sexus motus carnales et pollutiones ipsas, quas inviti patiuntur, non esse peccatum, et quod si tentationes carnales ex positiva resistantia augentur, possunt ipsi implorato auxilio divino et elicitio dissensu, tuta conscientia passive se habere, quidquid evenerit (58). Quod tamen rite capere debent ne abusus irrepat.

B) QUID CONFESSARIO DOCERE ET MONERE VETATUR

I.º *In genere consilia hygienica et medicinalia*

Quia confessarius ad corporum salutem curandam deputatus non est: "eius *per se* (59) non est dare poenitentibus *consilia*, quae *ad medicinam vel hygienem* spectant"; haec enim, utpote ad corporis salutem directa, extra confessarii officium *per se* sunt. Exinde eruitur haec practica conclusio:

"*Si quae vero consilia huiusmodi necessaria etiam propter conscientiam censeantur [v. gr. cum ex aliqua affectione morbosa genitalium exurgunt pravi motus, tentationes, etc., et periculum peccandi obvenit], eadem a perito recto, prudenti, atque morali doctrina instructo tradenda erunt, ad quem igitur poenitens remittendus est*".

Oportet igitur ut confessarius in antecessum bene cognitum habeat aliquem medicum bonis qualitatibus ornatum, ad quem poenitentem remittat, ne dum corporis salutem curat animam occidat. Sed confessarius ipse consilia *hygienica et medicinalia* non praescribet. Nam

a) cum medicina aliqua praescribitur prae oculis habendus est non solum effectus bonus obtinendus, sed quod ex illa alius effectus nocivus non sequatur. Confessarius autem hoc difficulter sciet, ad quod generatim scientiam medicam plene possidere requiritur.

b) Etiam si hanc medicam scientiam possideret, adhuc sunt alia gravia incommoda. Siquidem confessarius, ut talia consilia exhibeat, bene cognoscere debet: *primo* ipsum morbum, *deinde* effectum consiliorum relate ad

(58) Cf. S. ALPH., o. c., t. II (Romae, 1907), pag. 716, n. 9; MERKELBACH, o. c., pag. 75, VII. 3.

(59) Quod si aliquis ex eo, quod Stum. Officium utatur verbis *per se*, affirmaret hic non excludi praebere *per accidens* in aliquo casu *hygienica et medicinalia* consilia, respondemus, quod talis casus erit exceptionalis et rarus et consilium talis naturae, ut nemo id in imprudentiam vertere possit et semper excludat omne quod mirationem movere et scandalum gignere queat.

curationem morbi. Ad haec autem necessariae sunt extensiores morbi eiusque symptomatum explicationes, interrogationes; et hae non semel aut bis sed pluries ac frequenter repetitae. *Ex his vero saepe oritur*

1) *haud leve peccandi periculum* pro alterutro vel utroque, maxime cum res est, ut fere semper contingit, de feminis;

2) *turbatio conscientiae poenitentis*, cuius pacem is apud alium deinceps confessarium quaeret, qui, completa omnium expositione audita, crimen sollicitationis in his inveniri forsitan putet. Et ita denuntiationes contra sollicitantes in confessione cum vera vel apparenti causa multiplicarentur. Hoc autem gravissimum malum et formidandum scandalum esse quis unquam inficias ibit? Merito igitur Stum. Officium confessarium ab his consiliis dandis abstinere iubet, et "*ea omnino devitare quae mirationem moverent vel scandalum gignerent*".

2.º In specie quoad feminas, viros et utrosque.

a') QUOAD FEMINAS.

1) *Adulescentulae*. Confessarius etiam interrogatus menstruationes, pubertatis phenomena et alia huiusmodi adulescentulas docere nequit. Pro his omnibus sicut pro regulis hygienicis in hac re servandis ad earum matrem, amitam, meterteram aut aliam feminam honestam et prudentem mittendae sunt. Illi satis est in genere eas instruere et monere nollum *per se* in his esse peccatum: sunt enim res naturales et necessariae.

2) *Eadem norma servanda est cum omnibus feminis solutis de relationibus coniugalibus confessarium sciscitantibus.*

3) *Nupturientes*. Quodsi *feminae nuturientes* prae sua confusione ab earum matre vel alia honesta muliere haec interrogare non audent, quod haud raro contingit, confessarius eas mittet ad parochum, cuius est ad normam canonis 1033 "sponso docere sanctitatem matrimonii, mutuasque coniugum [relationes], obligationes erga prolem". Parochi normas iam perfectas ad hoc suum officium honeste implendum paratas habere debent. Confessarius igitur suo munere contentus sit et parochi officium ne invadat.

b') QUOAD VIROS:

a) *ADOLESCENTES*. Confessarius methodum educationis sexualis vel etiam *initiationis sexualis* saltem, ut aiunt, *completae* adolescentibus viris (et a fortiori feminis) nullatenus exponere potest; in ipsa enim poenitens de natura et de modo actus quo vita transmittitur edoceret, quod in Nor-

mis, ut infra dicemus, *absolute reprobatur* (60). Et circa hoc nulla est catholicorum discrepantia. Pariter ille abstinere debet ab explicationibus physiologicis phenomenorum pubertatis poenitentibus exhibendis.

Tamen ille poenitenti aliquod dubium de is rebus sciscitanti, respondere potest modo honeste, ut supponitur, hoc faciat. Imo ipsum circa pollutionem interrogantem, sive sciat sive ignoret esse peccatum, docere debet, ut supra dictum est.

b) De aliis adolescentibus solutis et nupturientibus valet, quod de feminis expositum est, i.e. remitendi sunt ad patrem, avunculum aliumve virum honestum.

c') QUOAD UTROSQUE.

"*Confessarius ne audeat seu sponte seu rogatus de natura et modo actus quo vita transmittitur poenitentes docere, nec ad id nullo unquam praetextu adducatur.*"

d') QUOAD CONIUGATOS.

Praeter dicta de onanismo, en Decr. S. Poenit. 8 iun. 1842: "Circa autem peccata coniugum respectu ad debitum coniugale ordinarie loquendo confessarius non tenetur nec decet interrogare, nisi uxores, an illud reddiderint, modestiori modo quo possit... De aliis taceat nisi interrogatus fuerit" (61).

Interrogatio de debito secundum S. Alph. (l. c.) ita fieri debet: "*An fuerint obedientes viris in omnibus.*" Hinc patet quaelibet quaestiones *de situ et modo* congregandi, utpote non solum inutiles, sed scandali etiam plenas, omnino omittendas esse.

Si coniuges conscientia turbati de his petant, confessarius paterna caritate eos accipiat, sed statim ipsos moneat:

a') *solum esse peccatum mortale* quod voluntarie fit contra finem generationis prolis;

b') *e contra esse licitum* quod convenienter fit ad hunc finem obtinendum;

(60) Diximus saltem *completae*, quia haec methodus *Initiationis sexualis completae* reprobatur etiam in Decr. S. Off. 31 mar. 1931. AAS XXIII, pags. 118-9.

Quoad *Initiationem sexuatam moderatam* post has S. Off. Normas duplex viget opinio. Prima vi ipsarum Normarum munus eam docendi a confessario abiudicat, ipsi *solum institutionem moralem* poenitentium relinquens. Cf. inter alios: Luzi G. SS., *Perfice munus*, vol. XIX (1944), pags. 102-10; Carpentier, R. NRTb., vol. LXVII (1945), pags. 222-25. Secunda sententia, benignior *hanc, moderatam initiationem* confessario non prohibet. Cf. inter alios: Oldani, L., *Rivista del Clero Italiano*, t. XXV (1944), pags. 130-35; Boschi, A., S. L., *Perfice munus*, vol. XX (1945), pags. 121-26.

(61) Apud FERRERES, o. c., pag. 645, n. 1163. Haec Decreti verba desumpta sunt ex S. ALPH., *Praz. Confes.*, cap. II, Ed. Gaude, t. IV (Romae, 1912), pag. 551, n. 41, § novis.

c') *esse veniale*, nisi rationabilis causa excuset, quod fit praeter talem finem.

NB. Si coniugati de delectationibus morosis se accusant, interrogentur num de proprio coniugè delectati sint et apte instruantur ne de objecto illicito delectationem capiant. Idem dic de actibus imperfectis absente alio coniuge habitis.

C) QUOMODO DOCENDI ET MONENDI SUNT POENITENTES

1) Confessarius, prosequitur Stum. Officium, "moralem institutionem et opportunas monitiones iuxta probatorum auctorum doctrinas suis poenitentibus tradet".

Quinam praeter DOCTOREM COMMUNEM et S. ALPH. (DOCTOREM PRUDENTEM) uti probati auctores habendi sint, nemo non scit; superfluum videtur eorum catalogum texere. Tamen hoc. S. Alph. monitum ad rem nostram notatum vellem: "In materia *sexti praecepti* oportet, quantum possibile est, omnem adhibere severitatem, cum in re tam labili nulla cautela unquam nimia existimari debeat; et plures opiniones, quae *speculative* loquendo sunt probabiles in praxi improbabilis evadunt. Hinc confessarius, ubi periculum poenitentium inspicit, licet actionem quam vellent perpetrare, de certo peccato mortali damnare non valeat, tamen nullo modo permittat. Hoc *medici animarum* est, praesertim respectu eorum, qui in vitio turpi habitum habuerunt" (62).

2) *Regulae in poenitentis institutione et monitione servandae*. Institutio et monitio poenitentis fieri debet, ut supra de interrogationibus exposuimus, a) *prudenter*, b) *honeste*, c) *moderate* seu non ultra veram poenitentis necessitatem.

3) ANIMADVERSIO. *Instructio et monitio non debet fieri unice vel fere unice de peccatis contra castitatem*. Integra cura vitae spiritualis poenitentis confessario incumbit. Haec autem vita spiritualis ad unicum virtutem castitatis non restringitur; sunt enim aliae virtutes christianae, non solum theologicae, sed et plurimae morales ipsa castitate praestantiores et magis necessariae, si ita loqui fas est, et ipsius fundamentum. Ideo confessarius *unice vel fere unice* de peccatis turpibus cavendis sollicitus.

a) *inconsideratè agit*, quia non bene perpendit naturam et momentum vitae spiritualis et perfectionis christianae et quaenam sint virtutes primariae intentione colendae, utpote nobiliores, radices et succus aliarum;

(62) H. A., tr. IX, t. I (Lugduni, 1829), pag. 333, n. 34 in fin.

b) *non implet recte suum confessarii munus*, quia praecepta Decalogi dantur de actibus virtutum (63) ac pro bono spirituali custodientium illa. Dum ergo confessarius unius VI Decalogi praecepti custodiam impense curat et custodiam aliorum et certo nobiliorum praeceptorum vel negligit vel non ita perfecte intendit, evidenter ampliores et praecipuas sui muneris partes *recte* non implet et quidem cum detrimento perfectionis spiritualis sui poenitentis.

Denique, quid dicendum si confessarius ob praedictam causam evangelicam poenitentis perfectionem non curaret, ad quam Deus ipsum forte appellaret?

VIII. DE FAMILIARITATE, PRAESERTIM CUM MULIERIBUS SUIS POENITENTIBUS, VITANDA DEQUE CAUTELIS AD ID ADHIBENDIS

Stum. Officium in hac tertia regula, allatis verbis S. Ioh. (64): "Mundus totus in maligno positus est" et Pii X: "sacerdotem quotidiana consuetudine versari quasi in *medio nationis pravae*: ut saepe in pastoralis ipsa caritatis perfunctione, sit sibi pertimescendum ne lateant inferni anguis insidiae" (65), rem magni quoque momenti pro confessariis tangit, sc. periculum, quod ii audiendis feminarum confessionibus offendunt. "Nemo inficiatum ibit, scribit MERKELBACH (66), omnium scopulorum quos in hoc saeculo adire potest sacerdos, nullum esse magis luctuosum et periculis plenum "quam illud audindi confessiones mulierum.

1) *Causae horum scopulorum*

Causae horum scopulorum ab AA. Theologiae moralis, pastoralis et asceticae assignatae desumuntur ex indole ipsa feminae et ex nativa hominis fragilitate. Nam mulieres

a) *vivida imaginatione et sensibilitate praeditae, voluntate et cordis affectu lucupletiores quam ratione, suas commotiones sensibiles et affectivas facile aliis manifestant;*

(63) S. ТНОМ., 2-2, q. 31 a. 4 ad 1; q. 44 a. 2 ad 1 et alibi passim.

(64) I Ioh. V, 19.

(65) Exhortatio ad clerum catholicum "Haerent animo", 4 augusti 1908, ASS. vol. XLI (Romae), pag. 566.

(66) O. c., pag. 78, IV.

b) "propter virum factae, sine difficultate ipsi subiiciuntur, libenter eius societate gaudent, naturaliter illum quaerunt, maxime sacerdotem aut religiosum vel quia alii mulieri non est addictus, vel ex vanitate quia consideratione gaudet" (67);

c) multiplicatis bonitatis et humanitatis signis ex parte confessarii, qui diligenter earum conscientiae necessitatibus attendit, gratitudinem animi erga eum concipiunt, ex qua sponte nascitur affectus, qui saepe uno vel alio modo inequivoce illi ostendi solet;

d) etiam si sint personae spirituales, ab hoc malo non excluduntur; ipsis enim "est periculum maioris adhaesionis" (68).

Quid igitur dicendum de scopulis creatis ab illis, quae "ex indigentia quadam ut ament et amentur, de industria vel ¡proh dolor! impudentes ex malitia affectionem sacerdotis provocare intendunt?" (69).

2) *Familiaritas et periculosa amicitia omnino vitanda*

Ex modo dictis clare elucet quam iuste Stum. Officium ex verbis ab ipso hic allatis concludat: "Quapropter [confessarius] cautissime semper incedat necesse est, omnia vigilanter devitando, quae familiaritatem proderent vel periculosam amicitiam fovere possent."

a) FAMILIARITAS SEU CONSUETUDO (frequentatio, periculosa amicitia), licet pluribus modis manifestari possit, tamen *praecipue proditur* per mutuas et *frequenter* visitationes sive domi poenitentis vel confesarii, sive alibi habitas (70). Requirit igitur repetitionem actuum quibus ipsa manifestatur et alitur atque simul physicam amborum praesentiam in eodem loco (71).

b) FOVETUR *periculosa amicitia* praedictis visitationibus, conversationibus, munusculis, mutua propriarum imaginum photographice expressarum traditione, litteris...

Necessitas autem diligenter vitandi haec omnia constat ex eo quod qui effectum impedire tenetur, eadem necessitate seu obligatione causam illius tollere debet. Iam vero confessarius, ut supponit Stum. Officium, frequentationem, familiaritatem, periculosam amicitiam cum suis poenitentibus vi-

(67) MERKELBACH, o. c., pag. 79, c).

(68) S. ALPH., *Prax. Confes.* apud Gaudé, vol. 4 (Romae, 1912), pag. 594, n. 119. Cf. S. THOM., *Opus.* 57, *De modo confitendi*, § 23. Op. omn., Ed. Vives, vol. 28 (Parisii, 1875), pag. 437-39.

(69) MERKELBACH, l. c.

(70) MAROTO, o. c., pag. 626, n. 547; CORONATA, o. c., vol. I, pag. 225, n. 192, vol. III, pag. 544, n. 1.615.

(71) Cf. WERNZ-VIDAL, *Ius Canonicum*, vol. II (Romae, 1923), pag. 128, n. 111; MAROTO, l. c.; S. ALPH., *Prax. Conf.*, l. c.

tare "et, si iam contractae sunt, statim eas abrumpere tenetur" (72), quia tales familiaritates *per se* continent:

- a) periculum lapsus (73);
- b) scandalum fidelium, quibus sinistrae suspicionis ansa datur;
- c) vilipensionem et contemptum dignitatis clericalis;
- d) inordinatam animi dispositionem, ex qua profanatio Sacramenti facile sequi potest.

Quid igitur mirum si ipsum Stum. Officium plures ostendat cautelas a confessario *in intra et ex extra* confessionem cum mulieribus servandas?

a) *Cautelae inter confitendum servandae*

Confessarius dum suo munere in confessionali fungitur:

1.° "NE SIT CURIOSUS *in poenitentibus mulieribus cognoscendis*". "Imprudencia enim est conicere oculos in accedentes vel recedentes poenitentes, easque per aliquod tempus intueri" (74). Ideo "mulieres, finita confessione, non debent sistere coram confessionali ad deosculanda confessarii manum, stolam, religiosorum scapularem amictum, cingulum" (75), vel quid simile.

2.° "Neque audeat earum nomen directe vel indirecte inquirere". Haec inquisitio nec ad integritatem confessionis procurandam nec ad dispositiones poenitentis cognoscendas spectat, nec ad directionem spiritus fructuosius instituendam iuvat, de quibus *unice* confessarius quarere debet; ideoque inter otiosas et inutiles computanda. Imo se eas cognoscere ne ostendat, "quia aliquae, quae religiosae haberi volunt advertentes se a confessario cognosci, non faciunt integram confessionem" (76).

3.° "EAS DUM ALLOQUITUR, *pronomine tu*, ubi familiarem consuetudinem significet, omnino ne adhibeat". Stum. Officium, Litteris a. 1920 ad *Supremos religiosarum familiarium Moderatores* datis, hanc cautelam inter alias a religiosis in audiendis feminarum confessionibus servandam praescripserat. Pariter Ex. Ex. mi Hispaniarum Metropolitanis (77) inter abusos

(72) S. FRANC. DE SALES, *Introd. a la Vie devote*, oev. compl., t. I (Lyon, 1864), part. II, cap. 21, pag. 602, de his amicitis scribit: "Taillez, tranchez, rompez, il ne faut pas s'amuser a descoudre ces folles amitez, il les faut dechirer."

(73) Cf. NOLDIN-SCHMITT, *Theol. Mor.*, vol. III (Oeniponte, 1940), pag. 433, n. 419; MERKELBACH, o. c., pag. 72, A et B; MARC-GESTERMANN-RAUS, vol. II (Lugduni, 1934), pags. 545-46, nn. 825-26.

(74) S. ALPH., *Praz. confes.*, o. c., pag. 594, n. 119.

(75) *Ita Exc. mi Metropolitanis Hispaniarum, in collationibus nov. 1935 habitis*, decreto V ex approbatis a S. Sede, apud Sal Terrae, vol. XXV (1936), pag. 538 et S. ALPH., l. c.

(76) S. ALPH., l. c.

(77) L. c. In pluribus Hispaniarum regionibus pii et probati confesarii adhibent cum puellis pronomem "tu" usque ad earum 13 vel 14 an.

corrigendos hunc exhibent: "Alloqui mulieres in confessione pronomine *tu*." Idem dicendum de vocibus diminutive prolatis cum pro ipsa poenitente supponunt: v. gr., filiola mea aliaeve similes: tales enim locutiones affectum redolent simulque in aliis eum excitant, familiaritatem et intimam amicitiam fovent.

4.º "EARUM CONFESIONES *ultra quam satis* produci ne permittat", quia haec innecessaria et habitualis confessionum protractio praeter notabilem temporis iacturam saepe est causa ineundi familiaritatem, admirationis, obmurmurationum ex parte aliorum poenitentium suam vicem spectantium et fortasse sinistrarum suspicionum, si talis protractio pluries cum eisdem locum habet. Imo zelotypiis inter ipsas confessarii poenitentes haec agendi ratio non nunquam ansam dat.

b) *Cautelae extra confessionem adhibendae*

1.º *Mutuas visitationes*. "Mutuas visitationes... [*cum mulieribus suis poenitentibus*] sine necessitate ne admittat".

Hic tangitur quaestio de *frequentatione mulierum* (78). AD HUNC FREQUENTATIONIS effectum in iure tam veteri quam codiciali distinguntur mulieres *suspectae* et non *suspectae*.

MULIERES IURE NON SUSPECTAE sunt illae a) "in quibus naturale foedus nihil mali permittit suspicari, quales sunt mater, soror, amita et huiusmodi" (79); b) "aut a quibus spectata morum honestas cum provectiore aetate coniuncta, omnem suspicionem amoveat" (80).

MULIERES IURE SUSPECTAE sunt ceterae omnes, a) et b) non inclusae, etsi alias *honestae* et *sanctae* sint.

Frequentatio *per se* vetita est cum mulieribus "de quibus suspicio esse possit" (81). Dicitur *per se*, quia si specialis causa suspicionis, scandali aut incontinentiae adsit (82), clericus mulieres *iure non suspectas* sine nota frequentare nequit. De hoc casu iudicat Ordinarius loci.

(78) Cf. can. 133.

(79) Can. 133, § 2. AA. solent etiam extendere hoc caput ad consanguineas in secundo et afines in primo et secundo gradu, licet praesumptio quoad has sit debilitior; ideoque probatio ipsam elidens facilius admittatur.

(80) *Ibid.*

(81) *Ibid.*, § 1.

(82) Finis prohibitionis frequentandi mulieres est, ut clerici vitent incontinentiae suspicionem et pericula, quae incauta horum cum illis conversatio secum fert. Stum. Officium etiam peculiariter sacrum confessarii munus et sanctitatem Sacramenti Poenitentiae custodienda intendit.

Stum. Officium. omissa praecedenti distinctione, absolute asserit: *Mutuas visitationes... cum eisdem [mulieribus poenitentibus] ne admittat*. Et merito quidem. Nam

a) CASUS MATRIS, SORORIS, AMITAE et huiusmodi confessionem apud sacerdotem filium, fratrem, etc., instituentis rarissimus est; et si hic casus aliquando datur, rarius erit quod inter eos praebatur causa suspicionis. Qualitas igitur confessarii quoad earum frequentationem ipsas non afficit.

b) CERTO AFFICIT OMNES MULIERES, quae *iure suspectae* habentur quoad earum frequentationem.

c) Dubium ergo tantum esse potest, utrum verba Sti. Officii extendantur etiam ad feminas, a quibus *spectata morum honestas cum provec-tione aetate coniuncta* omnem suspicionem amovet? Responsum affirmativum esse debet: 1.° quia Stum. Officium non distinguit; 2.° quia pro confessariis cum suis poenitentibus rationes speciales militant. Siquidem

1) MUTUAE VISITATIONES, omnibus aliis adiunctis aequae se habentibus, familiaritatem inter confessarium et suam poenitentem facilius fovent quam si illi tali relatione inter se non devincirentur. Quare verba illa S. Hieronymi (83): "Feminam quam bene videris conversantem, mente dilige, *non corporali praesentia*", specialiter confessario applicanda sunt.

2) FAMILIARITAS CONFESSARII *cum sua poenitente* perniciosior est quam cuiusvis sacerdotis cum muliere, quae non sit eius poenitens. Quis enim talem in poenitente defectum corrigit, si confessarius a quo corrigi deberet illo eodem obstringitur?

3) ESTO IN MUTUIS VISITATIONIBUS PER ACCIDENS familiaritatem non iuduci, tamen confessarius in illis iteratis aliquem vel aliquos defectus plus minusve notabiles ostendet. Quis omnes passiones rationi adeo subiectas habet ut nihil unquam inordinatum exhibeat? Exinde auctoritas et veneranda illa aestimatio confessarii decrescet cum praeiudicio boni spiritualis poenitentis ac reverentiae tam sacro muneri debitae. Insuper, quod est *per accidens* in lege non attenditur.

PROHIBITIO HAEC SUAS HABET EXCEPTIONES

Ex eo quod Stum. Officium dicat: *Visitationes... sine vera necessitate ne admittat*, sequitur non prohiberi mutuas visitationes vere necessarias. Unde praeter casum audiendi confessionem mulieris graviter aegrotantis vel ex alia causa iusta domi per longum tempus detentae, possunt fieri

(83) Cf. c. 17, D. 32.

tales visitationes quoties *negotia necessaria* et *vere utilia* aliena a confessione cum poenitentibus pertractanda occurrunt. Ex quo duo sequuntur:

a) *visitationes frequentes non tolerari*; negotia enim necessaria et vere utilia in vita ordinaria non saepe occurrunt (84);

b) *non esse inducendum praetextum necessitatis*, cum reapse vera necessitas non existit.

2.^a "*Comercium epistolare cum eisdem sine vera necessitate ne admittat.*" Rationes in praecedenti cautela adhibitae hic locum habent. Imo epistolae nisi vero spiritu Christi sint informatae, gravem occasionem periculosae amicitiae fovendae constituere possunt. De his S. Hieronymus (85) scribit: "Blandasque et dulces litterulas sanctus amor non habet."

Quid respectu directionis spiritualis per epistolas est dicendum? Certum est plures sanctos: S. Paulum a Cruce, S. Franc. Salesium et multos alios viros spirituali prudentia vere eximios directionem spiritualem proprie dictam per epistolas tradidisse (86). At in hac quoque re magna cautela utendum est; secus, praeter multas difficultates tali directioni *per se* inhaerentes (87), Director et discipulae haud levia pericula invenient.

3.^a *Longas colloquutiones sive in sacristiis sive in atriis seu "locutoriis" sive alibi, ne sub praetextu quidem spiritualis directionis.*

In *iure veteri* plura continentur capita in quibus praescribitur: "Nec solus presbyter cum sola femina fabulas misceat" (88); et: "Volumus ut sacerdotes prohiberi debeant, ne cum mulieribus conversentur" (89). Quod S. Alph. (90) ita expressit: "Extra confessionarium nec etiam immoretur ad colloquendum cum ipsis [mulieribus poenitentibus] in ecclesia, omnemque familiaritatem devitet." Ratio semper est eadem: arcere periculum fovendi familiaritatem vel periculosam amicitiam confessionarium inter et suas poenitentes. Insuper, tales locutiones in his locis repetitae ansam sinistrae suspitionis et scandalum fidelibus praebent.

(84) Huic asertioni concordat c. 17, D. 32. ubi leguntur haec verba. S. Hieronymi ad Nepotianum: M L 22, 531: "Hospitulum tuum aut raro aut nunquam mulierum pedes terant."

(85) EPIST. 52, ad Nepotianum. De vita cleric. et monac., n. 51: ML 22, 532.

(86) Cf., v. gr., S. FR. DE SALES, *Cartas espirit.*, versión española por Juan Gutiérrez (Barcelona, 1945); VALENCINA, A., O. M. C., *El Director perfecto y el Dirigido santo* (Sevilla, 1908).

(87) Cf. DE GUIBERT, I., S. I., *Theol. Spirit. Ascet. et Myst.* (Romae, 1939), pag. 199, n. 219.

(88) c. 20, D. 31.

(89) c. 24, D. 31.

(90) PRAX. CONF., o. c., pag. 394, nn. 119.

4.^a *Diligens affectus vigilantia et agere solum propter Deum*

En praecipuum huius mali remedium et securis ad radicem familiaritatis posita. Nam affectus humani hic dicuntur per oppositionem ad supernaturales et sunt illi, quorum obiectum seu motivum est aliquod bonum mere naturale sive verum sive apparens. Si confessarius et sua poenitens ponunt actus pietatis ex motivo naturali, adest gravissimum periculum quod eorum animi sub praetextu pietatis affectibus humanis imbuantur, et hoc continget quamvis initio vere supernaturaliter egerint. Nam tales personae tantum malum, ut docet S. ALPH. (91) ex STO. THOMA, “non statim advertunt; quoniam diabolus ab initio non emittit sagittas venenatas, sed illas tantummodo, quae aliquantulum feriunt et AUGENT AFFETUM. Sed brevi huiusmodi personae eo deveniunt ut non amplius agant secum tamquam angeli, quaemadmodum coeperant, sed tamquam carne vestiti. Vicissim se intuentur mentesque sibi feriunt blandis allocutionibus, quae *adhuc a prima devotione* videntur procedere; hinc alter alterius praesentiam incipit appetere; *sicque spiritualis devotio paulatim convertitur in... carnalem*”. Et addit: “quot sacerdotes, qui antea erant innocentes, ob similes adhesiones, quae spiritu coeperant, Deum simul et spiritum perdiderunt!”

Tandem directio spiritualis, quoad fieri possit, in confessionali ipso exceda est; ita postulat rei gravitas et momentum.

REMEDIIUM EFFICAX: “OBSTARE PRINCIPIIS (92), ie. a) “DILIGENTISSIMA VIGILANTIA, *qua confessarius praecavere debet ne pietatis fuco affectus humani suis ipsius vel poenitentium animo paulatim irrepant; ideoque examinare quotidie et solerter quomodo suum sacrum munus implet; b) EFFICAX VOLUNTAS, qua ille statim removeat a sua relatione cum poenitentibus quidquid homani ei se admisceat; c) et fundamenti instar pura intentio, qua confessarius, “qui coelestia sapere, eloqui, suadere omnino debet, sic pariter vitam suam omnem supra humana instituat “OMNIQUE OPE CONTINENTER ENITATUR, ut quidquid pro sacro munere agit, secundum Deum agat instinctu ductuque fidei” (93).*

(91) *Ibid.* Cf. S. THOM., *Opusc.* 57, *De modo confitendi*, § 23. Op. omni., Ed. Vives, vol. 28 (Paris, 1875), págs. 437-38.

(92) Hic locum habet illud OVIDII, *De remediis amoris*, II, 91:

“Principiis obsta, sero medicina paratur
Cum mala per longas invaluere moras.”

(93) PIUS PP. X, *Ezhort. ad cler. cathol.* “Haerent. animo”, 4 aug. 1908. ASS, vol. XLI (Romae, 1908), pág. 566.

5.^a *Remedium poenale*

Ex his omnibus attente perpensis luculenter apparet Stum Officium maxime cordi habere gravem et honestam vitae conversationem in omnibus a confessariis servandam. At contingere potest ut nonnulli humana fragilitate vel malitia ducti praedictas cautelas et consilia ita negligant, ut *eorum agendi ratio cum mulieribus, suis poenitentibus, familiari consuetudine quomocumque dehonestetur*. In his casibus Stum. Officium remedium supremum, *poenale* nempe, si casus ferat, adhibendum esse Ordinarios admonet. Itaque statim ac abusus hac de re irrepserint, Ordinarii eos omni opera districte compescere satagant, impositis, si opus fuerit, sanctionibus poenalibus. Hoc autem procul dubio, servatis praescriptionibus canonicis cum extensione supra exposita, faciendum est. Quapropter, sicubi aliqui confessarii, quod Deus avertat, posthabitis cautelis et mediis a Sto. Officio hac in re propositis, familiaritates seu frequentationes favorent, monitione cum praecepto et comminatione poenarum de *familiari consuetudine dimittenda* frustra praemissa, puniendi sunt a suis Ordinariis tamquam praesumpti concubinarii ad normam can. 2176-2181.

IX. DE INSTITUTIONE FUTURORUM CONFESSARIORUM

Quam magni momento pro pietate christiana sit apta futurorum confessariorum institutio nemo est qui non videat. "A confessariis enim pendet directio conscientiarum... et unus confessarius, qui sit ignarus [laxus] aut moribus pravus, potest totam regionem perditam facere" (94). E contra, confessarius doctus, pius et prudens illam in melius mutare potest. Stum. Officium, horum apprime conscius, futuros confessarios in materia VI Decalogi praecepti, maxime necessaria et periculosa, a suis magistris mature excultos vult.

Haec institutio potest esse triplex:

- a) THEORETICA, qua magistri principia ipsa *Theologiae Moralis* discipulos docent;
- b) THEORETICO-PRACTICA, qua ipsa principia applicantur ad casus practicos, quorum solutio propter tot diversas circumstantias in praxi non semper facilis est. Ita solet fieri in scholis *Theologiae Moralis* et in *conferentiis* seu *collationibus* casuum conscientiae.

(94) S. ALPH., H. A., tr. VII, l. I (Lugduni, 1829), pag. 277, n. 56.

c) PRACTICA PRAESERTIM, qua alumni specimine et exercitationibus practicis instituuntur circa modum audiendi confessiones, interrogandi et instituendi poenitentes.

Stum Officium, supposita institutione theorica, quam solidam et eximiam ubique exoptat, enixe commendat "specimen et exercitationes practicas, quibus futuri confessarii a suis magistris accurate discant;

a) quomodo sint circa VI Decalogi praeceptum interrogandi pueri, iuvenes, adulti, atque praesertim mulieres;

b) quaenam sint interrogationes necessariae vel utiles et modum has proponendi. Idem dic de modo instituendi poenitentes.

c) quaenam sint interrogationes periculosae vel inutiles; ideoque omit- tendes;

d) quae verba secundum morem patrium adhibenda sunt (95).

Horum ratio est. Omne genus peccatorum luxuriae, attenta fragilitate et militia humana, ut plurimum sacramentali iudicio submittitur. Confessarius autem, ut supra expositum est, interrogando et instituendo poenitentes, ne sibi vel eis in re tam lubrica noceat, *prudenter et caute semper et cum omnibus, maxime mulieribus*, procedere debet. Quid faciet in his adiunctis neoconfessarius si antea a docto et pio magistro hisce de rebus non fuit mature institutus? Erit velut imperitus miles qui solus cum haud parvo discrimine et acribus angustiis inopinatum et periculosum proelium init.

Insuper, quo melius excultus est confessarius in his VI Decalogi praecepti rebus, eo facilius intelligit miserimum animarum statum, minus indiget interrogare et satius tam gravi morbo medetur. Merito ergo Stum. Officium hanc accuratam futurorum confessariorum institutionem proponit et commendat.

Ad Ex.mos Ordinarios spectat eligere magistros, qui hoc munere fungantur, normasque statuere, secundum quas futuri confessarii instituantur. Magistri autem, assumpto officio, omni cum fidelitate et diligentia illud implere debebunt.

(95) Pluribus in locis methodus omnia haec docendi ita se habet. Alumni, sua quisque vice, personam confessarii sustinent. Magister vel alumnus ab eo per vices designatus et perfecte instructus, partes poenitentis agens, confessionem apud illum instituit atque continenti successione exhibet confessiones pueri, iuvenis, puellae, coniugati, etc., in diversis adiunctis in quibus tales personae in ordinaria et extraordinaria vitae conversatione inventiuntur. Hoc modo confessarii coguntur interrogare quodlibet genus poenitentium circa quaelibet peccata contra VI Decalogi praeceptum admissa, et ita alumni in decursu anni plene de his docentur..

X. HARUM NORMARUM OBLIGATIO (96)

NORMAE *per se* ad earum observantiam non obligant. Attamen, sive quia nonnuquam ex praeceptis alias latis desumuntur sive ratione materiae circa quam versantur, haud raro veram obligationem continent. Quid dē hisce *Normis* dicendum?

a) *Stum.* Officium, ut supra diximus, Ex. mis Ordinariis *directe et immediate* obligationem indicit curandi, ut omnes confessarii has *Normas* sanctissime servent, hos autem nonnisi *mediate* tangit. Itaque ubi Ordinarii illarum observantiam urgeant, ibi confessarii ex hoc capite vero vinculo eas servandi obnoxii erunt.

b) *Sed praedictae Normae* ratione suae materiae forte ab Ordinarii dando, *per se et independenter ab alio praecepto* et praeceptorum iam existentium maiori vel minori vi, confessarios obstringere censentur, utpote generatim inclusae in *eorum munere et officiis*, ut aliunt, *iustitiae*. Sic enim locuti sumus de OBLIGATIONE QUAM HABET CONFESSARIUS tamquam:

a') IUDEX, *interrogandi poenitentes* 1) de onnanismo suspectos; 2) de peccandi consuetudine; 3) de occasionibus proximis; etc., et omittendi quaestiones, quae poenitentem peccatum turpe doceant, scandalum vel periculum lapsus praebant, reverentiae Sacramento debitae adversentur, etc. (I Normarum).

b') MEDICUS et MAGISTER, instituendi et monendi poenitentes, quorum peccata luxuriae vitanda sunt illorum vulneribus medendo, habitus pravos eradicando, occasiones proximas amputando, etc., et tacendo ea quae confessariis poenitentes docere vetantur, etc. (II Normarum).

c) DISPENSATOR FIDELIS MUNERIS SACRI, cuius agendi ratio cum suis poenitentibus, *maxime mulieribus*, semper esse debet honesta, gravis, sanctitate plena, ut decet ministrum personam Christi in remissione peccatorum gerentem. Exinde exurgit obligatio confessarii servandi cautelas, quamvis non omnes in eodem gradu, in III *Normarum* positas ad vitanda pericula pericula castitatis, fidelium suspicionis et praecipue minus dignae vel inlignae Sacramenti dispensationis ex illarum neglectu oritura, uno verbo, *ne sacrum munus quovis modo a confessariis dehonestetur*.

(96) De obligatione IV *Normarum* satis dictum est § II, c. 2 et § IX.

Rationes suis locis allatae haec omnia clare ostendunt. Unde concludere possumus:

“Confessarios ratione sui sacri muneris rite implendi et honestae conversationis ducendae per se et generatim teneri ad observandas *Normas et Cautelas* in hoc documento Pontificio traditas, licet non omnibus illis eadem insit vis obligandi.

ANIMADVERSIO.

Maior vel minor obligatio servandi sigulas *Normas et Cautelas* determinanda erit ex maiori vel minore proximitate et necessaria connexione uniuscuiusque *Normae* vel *Cautelae* cum

- a) munere et officiis confessarii rite exercendis;
- b) bono spirituali poenitentis quaerendo vel eius damno aut periculo lapsus avertendo;
- c) scandalis, suspicionibus fidelium vitandis;
- d) periculo lapsus confessarii ipsius arcendo;
- e) reverentia Sacramenti semper servanda;
- f) familiaritate et periculosa amicitia devitanda et non fovenda.

AURELIUS YANGUAS

In Pont. Universitate Salmanticensi Professor